DE VERA IESV CHRISTI DOMINI ET SERVATORIS NOstri secundum humanam naturam in his terris præsentia, orthodoxa & breuis expositio, Iosia Simlero Tigurino auctore.



TIGVRI EX OFFICINA
FROSCHOVIANA.
M. D. LXXVIII.

A

E

T

an

ph

ru

po

fia

di

pe

fil

ti

G

gl

con

die

tera

cis

ANTIQVA NOBILITATE AC VIRTVTE CLARO VIRO, D. IOanni im Thurn, amplissimæ reipublicæ Scaphusianæ Senatori & Quæstori, Iosias Simlerus Gratiam & pacem à Deo patre & D. N. Iesu Christo precatur.

MVLTIS *iam annis V. CL. hoc vnice omnium exoptarunt viri boni & quibus incolumitas ecclesiarum cordi est, vt tandem ex verbo Dei componatur infelix ista controuersia quæ ecclesias Germaniæ turbat: sed quando id, impedientibus credo nostris peccatis, hactenus impetrare non potuimus, quod proximum erat, silentio vtrinque constituto hanc sopire conati sunt non pauci è præcipuis & Illustrißim. Germaniæ principibus. Verum interea neglecta principum auctoritate, proximis annis complura acerbißima scripta in publicum prodierunt, quibus non tantum certamina inueterata renouantur, sed omnis etiam via pacis constituendæ, si modo magistratus horum*

auctoritatem sequi voluerint, praecluditur. Nam nostras ecclesias Mahometanismi accusant, in quibus non plus Christo tribuatur quam illi Mahometus in suo Alcorano tribuat: & constanter asserunt omnes eos qui negant vbiquitatem essentialem carnis Christi, quam ipsi nouo Maiestatis titulo ornant, in caeteris quoq; dogmatibus nihil recte de Christo credere. Quis autem tales doctores & ecclesias non abominetur, & vt ipsi hortatur, ad Turcas relegãdos esse censeat? Quoniam vero haec non tantum domi è sacra cathedra declamitant, sed libellis vtraque lingua editis in vulgus spargunt, necessitas nos vrget vt doctrinae nostrae iustam defensionem rupto tandem silentio suscipiamus, & ecclesiarum nostrarum innocentiam aduersus vanissimas calumnias asseramus: ne perpetuo silentio optimam causam prodere videamur. Ac dolet quidem nobis plurimum tam atroces calumnias passim per Germaniam de nobis spargi, cum tamen nos de ecclesijs Germaniae semper optime existimauerimus, & nunquam nisi honorificam illarum mentionem in nostris scriptis

scriptis fecerimus. Sed speramus viros mode
ratos & amantes pacis, quales Dei beneficio
plurimi sunt in aulis Illustrissimorum princi
pum & amplissimis Germaniæ vrbibus, non
probare hanc Doctorum quorundam conui-
ciatricem & maledicam Theologiam, & lon
ge rectius quàm illos de nostris ecclesijs iudica
re. Etsi enim in dogmate de cœna Domini nō
per omnia consentimus, tamen facile animad
uertere possunt vniuersam nostram doctri-
nam cum sacris literis, veteri ecclesia, & cum
ipsa Augustana confeßione, vna hac de cœna
Domini controuersia excepta, per omnia opti
me consentire. Cum contra aduersariorum
nostrorum doctrinam περὶ πανταχουσίας dam
nent plurimi per Germaniam qui Augusta-
nam confeßionem probant, & quidem non è
plebe doctorum, sed vere lumina Germaniæ.
Itaque nemo iniquo animo ferre debet quod
nostræ doctrinæ veritatem, & nostrarum ec-
clesiarum existimationem contra accusatio-
nes grauißimas quorundam theologorum pu-
blicè defendimus. Neque enim his scriptis
controuersias augere, aut ab ecclesia in rem-

publicam transferre cupimus, sed id potius cauere ne certamina ex ecclesia in rempub. trāsferantur. Præsentem verò libellū hoc consilio scriptū sub tuo nomine vir Clarißime in lucē edere volui, primum quidem quod te eum esse sciam qui de huiusmodi grauißimis controuersijs iudicium facere poßit: nam cum ciuilium rerum vsu, literas & artium atq; linguarum cognitionem coniunxisti: & non tantum humanarum disciplinarum, sed sacrarum literarum, quæ solæ hominem ad veram & solidiam pietatem erudire possunt, semper studiosus fuisti. Itaque cum vestra familia vetusta ac nobilis multis ornamentis hactenus clara fuerit, hoc tamen nouum ornamentum literarum hactenus temporum non hominum culpa neglectum, in illam primus intulisti, dum tuo etiam exemplo fratres tuos nobilißimos æmulatione honesta ad eadem studia excitas: Deinde honestißimm dignitatis locum obtines in amplißima Schaphusianorum republica qui pagus Heluetiæ nostræ vti Tigurinis regionis vicinia, ita etiam eiusdem religionis profeßione coniunctißimus est. Nam ab eo

tempore

tempore quo Dei beneficio clarior lux Euangelij nobis illuxit, summa semper fuit, vestræ ecclesiæ cum nostra, cùm in doctrina tū etiam in administratione ecclesiæ & externis ritibus consensio: atque vt arctißima coniunctio fuit eorum ministrorum qui primi has ecclesias vtrinque instituerunt, ita eandem nobiscum conseruant & quotidie augent viri optimi & doctißimi qui nūc ecclesiæ vestræ inseruiunt. Cōmunis etiam vtriusq; ecclesiæ & reipublicæ confeßio publice extat, quare omnes hæ calumniæ quæ nunc de nostris ecclesijs iactantur, non minus pertinēt ad vos quàm ad nos qui Tiguri in ea ecclesia quā Zuinglius instituit Christo inseruimus. Et eò magis quia in aditu Germaniæ positi estis, vt nihil mali ex discordia ecclesiarū oriri poßit quod nō primò omniū ad vos perueniat: rursus eandem ob causam ac mutua commercia, omnium commodißimè potestis innocentiā nostrarum ecclesiarum bonis ac moderatis viris demonstrare. Et quia pacis et concordiæ studium ad vos maximè pertinet, qui rebus publicis moderandis diuinitus præfecti estis, non tantum

in republica, sed in ecclesia quoque eius procurationem suscipere debetis, ne tandem ἔρις seu potius Erinnys & rabies certandi ex ecclesia in rempublicam, & à calamis, quod Deus auertat, ad arma transferatur. Postremo humanitatem tuam expertus in alio studiorum genere (conscribenda historia patriæ nostræ) è cuius medio cursu me transuersum quasi alio importunitas aduersariorum abripuit, volui hoc officij genere animum gratum & memorem tuorum beneficiorum ostendere. Atque hoc vnice V. CL. à te peto vt hanc meam nuncupationem æquo animo accipias, & cum libelli huius si forte opus fuerit, tum etiam rei ipsius de qua agitur patrocinium suscipias. Nam id ingenue testari possum, me in illo conscribendo primum Dei gloriam, & puræ doctrinæ conseruationem, deinde pacem & concordiam in ecclesia & republica potissimũ quæsiuisse. Precor autem Deum vt his tristibus temporibus nostris misertus tãdem diem illum exoptatam nobis illucescere patiatur, qua discussa omnium errorum caligine, graues illæ controuersiæ quæ tãdiu ecclesiam turbarunt,

barunt, ex Verbo ipsius componantur, & suauissima pax diu desiderata aliquando afflictæ ipsius ecclesiæ restituatur. Id nobis præstet Dominus noster Iesus Christus, vnicus veræ pacis auctor: qui te quoque V. C L. ad nominis sui gloriam, & ecclesiæ atq; communis patriæ vtilitatem, quam diutissime incolumem conseruare velit. Tiguri

M. D. LXXIIII.

Tertio Idus Februarij.

ORTHODOXA

ET BREVIS EXPOSITIO VERAE PRAESENTIAE DOMINI *nostri Iesu Christi, qua in his terris præsens est.*

INTER ea de quibus hodie in scholis Theologorum disceptatur, non puto quicquam magis controuersum esse quam doctrinam de sacrosancta cœna Domini nostri Iesu Christi: Aliter enim de illa docent Papistæ, aliter Lutherani, aliter illi quos Zuinglianos & Caluinianos vocant, aliter Anabaptistæ: alia postremo est sententia Brentianorum, qui quamuis & ipsi Lutherani videri velint, tamẽ aliter quam plerunq; Lutherus docuerit, & Lutherani atque ipse Brentius olim scripserit, nunc de cœna Domini docent. In tanta autem opinionũ varietate quotidie plurimi libelli vbiq; in publicum prodeunt, plurimi etiam iamdudum à doctissimis viris nostrarum ecclesiarum qui nunc in Domino quiescunt, editi sunt, quibus hæc controuersia copiose & perspicue explicatur, & quæ sit vera sententia ex scripturis & Patribus firmis rationibus demonstratur. In tanta autem librorum huius argumenti copia,

pia, nihil minus hactenus in animo habui, quam hanc quæstionem aliqua ex parte attingere: ſed nunc vt aliter ſtatuerem commouit me, non iniuſta, vt arbitror, animi indignatio: nam non tantum de præſentia Chriſti in cœna Domini nunc contenditur, verum in genere de præſentia Chriſti in his terris ſecundum humanam naturam quæritur, & Vbiquitas ſeu Omnipræſentia carnis Chriſti veteribus incognita aſſeritur, atque ad hanc ſtabiliendam noua doctrina de Incarnatione Filij Dei, & eius Aſcēſione in cœlos, & Seſsione ad dexteram Dei, eccleſiæ cum magna multorum infirmorū offenſione proponitur. Deinde prodeunt ſubinde in publicum noua ſcripta calumnijs falſiſsimis aduerſus noſtras eccleſias referta, quibus ea dogmata impudentiſsimè nobis affinguntur, quæ ne per ſomnium quidem vnquam nobis in mentem venerunt: & nos Arianos atque etiam Mahumetanos eſſe clamant, cum ipſorum conſcientiæ eos calumniæ & mendacij arguant: optimè enim norunt qua fide & diligentia noſtræ eccleſiæ ſeſe hactenus Arianorum furoribus oppoſuerint, & quantum à tantis blaſphemijs abhorreamus & ſemper abhorruerimus. In tanta igitur calumniandi petulantia exiſtimaui officij mei eſſe, puram doctrinam quam

hactenus cum alijs pijs & doctis viris in his scholis & ecclesijs tradidi, publico scripto cōtra apertas calumnias defendere, & simul innocentiam nostrarum ecclesiarum aduersus falsas & horrendas criminationes aduersariorum asserere. Neque existimo quenquam hoc mihi vitio posse vertere, quasi noua certamina pacatis ecclesijs attrahere, aut vetera dissidia renouare & augere velim, quando ego nullam contentionem moueo, sed tantum tela immissa repello, & illis respondeo qui pacem ecclesiarum ferre non possunt. Etenim scripta quorundam, & nominatim Iacobi Andreæ complura, & nuper ad Viadrum æditæ Musculi propositiones, satis ostendunt plerosque huius factionis plurimum in eo elaborare, vt viros doctos & moderatos qui pacem nobiscum seruare, & tristem hanc atq; diuturnam controuersiam sacramentariam tollere & sopire cuperent, in odium & inuidiam apud Principes & vulgus adducant, & eos falsis criminibus grauent, atq; ita omnem pacis & c coridiæ rationem tollant.

Aduersarij oderunt pacem.

Ac dolendum est homines theologos quos maximè omnium pacis studiosos esse oportebat, tantopere ab ea abhorrere, vt vix nomen eius ferre posse videantur, quorum tanta est pugnandi rabies, vt si his magistratus gladium

dium

dium traderet aut eum horum arbitrio ſtringeret, breui non minus principes & reſpublicæ armis & ferro, quam Theologi calamo inter ſe contenderent. Elaborarunt in hac re Illuſtriſsimi aliquot Germaniæ principes, & ampliſsimarum vrbium magiſtratus, multi quoque eximiæ eruditionis viri, vt quando hanc triſtem Sacramentariam contentionem componere non poſſent, ſaltem amicitiam inter partes conciliarent, & ab vtriſq; impetrarent, vt à concertationibus & rixis & conuitijs abſtinerent. Exiſtimabant enim cum alioqui maledicentia Chriſtiano theologo indigna ſit, & diſsidia bonis omnibus fugienda ſint, tum maximè in hac quæſtione id faciendum eſſe, quod turpiſsimum ſit Chriſtianis idipſum eſſe belli materiam, quod pacis vinculum eſſe Chriſtus voluit, præſertim cum vtraq; pars circa præcipua capita quæ in cœna ſpectantur conſentiat. Nam his qui abſque affectu & præiudicio noſtra ſcripta legunt manifeſtum eſt, nos neque præſentiam Chriſti in ſua cœna, neque communionem corporis & ſanguinis eius negare, ſolum in eo controuerſiam omnem poſitam eſſe, quis ſit modus præſentiæ, qua Chriſtus cœnæ ſuæ adeſt, & nos verum eius corpus & ſanguinem percipimus.

Contro uerſia de modo præſentiæ.

Nihil nisi piũ de prę-sentia hac docemus.

Ea autem quæ de modo præſentiæ & communionis docemus, pia & conſentanea eſſe doctrinę ſacrarum literarum negare non poſſunt moderati homines etiam aduerſæ partis: nam etſi à nobis diſſentiant, tamen modum præſentiæ & communionis quem nos ſtatuimus nequaquam negant, ſed præter hunc alium quoque ſubſtantialem aſſerunt, & nos non in eo arguunt quod falſa doceamus, ſed quod non cuncta quæ (vt ipſi iudicant) docenda & aſſerenda erant affirmemus. Ac quoniam modus ille præſentiæ corporis Chriſti quem ipſi affirmant, nuſquam diſertis verbis ſacrarum literarum traditur & definitur, vti etiam nonnulli aduerſariorum fatentur, exiſtimarunt boni viri nobis iniuriam fieri, ſi huius quæſtionis gratia ab amicitia & fraterna charitate excludamur. Sed nouis iſtis theologis hæc bonorum virorum conſilia politica eſſe videntur, quod ſcilicet compoſitio quæratur in re fidei, vbi nihil eſt iuris noſtri quod concedere poſsimus, ſed verbo Dei ſtandum ſit, & integritas fidei conſeruanda, quam euerti à nobis clamitant. Quaſi verò euicerint verbum Dei à ſe ſtare, aut nos fidei quicquam contrarium docere: nam quod nos negare aiunt Dei omnipotentiam, perſonamque Chriſti diuidere, meræ ſunt calumnię dudum

refuta-

refutatæ. Attamen aliqui è vehementibus iſtis theologis qui tam ſeueri ſunt in Sacramentarios, Flaccium, quem hi qui quondam ſui gregales erant Manichaicos furores renouare affirmant, ferunt, & fratris loco habent, quia Vbiquitati eorum vbique patrocinatur. Vt merito zelum hunc ſuum contra Sacramentarios ſuſpectum faciant, nam ſi gloriæ Dei ſtudio hos odiſſent, Flaccium cuius quoq; doctrinam damnát æque ac illos nullo modo ferre poſſent. Nolas aduerſariorũ inæqualis.

Sed quando illis omnia bene habent ſi Sacramentarijs nullus ſit locus, nos quos immeritò eo nuncupant nomine quod in ipſos magis quadrat, omiſsis his à quibus ius æquum impetrare nunquam potuimus, cauſam noſtram, quam iuſtiſsimo iudici ipſi Domino & Seruatori noſtro Ieſu Chriſto approbatam eſſe confidimus, bonis quoque & moderatis viris approbare conabimur. Quia verò nõn tantũ nunc quæritur de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed huius controuerſiæ occaſione cœptum eſt diſputari de abſoluta præſentia Chriſti ſecundum humanam naturam, quam ad illam alteram præſentiá carnis Chriſti in cœna aſſerendam, vbique non minus quam ipſam diuinitatem præſentem eſſe volunt, viſum eſt mihi quoque in genere de præ-

ſentia Chriſti ſecundum humanitatem in his terris ſcribere, initio tamen facto à præſentia eius in Euchariſtia, & interpretatione verborum Cœnæ, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS. Nam reuera hoc eſt caput totius controuerſiæ, & quia ſibi perſuaſerunt his verbis ſtatui realem & corporalem præſentiam carnis & ſanguinis Chriſti in cœna ſacra, vt hanc opinionem ſemel male conceptam tueri poſsint, & nullum tropum in his verbis admittere cogantur, ſuam vbiquitatem excogitarunt, ac inauditos tropos, & nouas interpretationes ſymboli & locorum ſcripturę quam plurimorum, etiam illas quæ grauiſsimis erroribus vel patrocinantur vel periculoſam occaſionem præbent, approbare non dubitant.

Aduerſarios non ſeruare τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ Domini.

Quoniam igitur aduerſarij hoc ſubindę inſtant, & idem vbique repetit Muſculus, ſe verba Chriſti accipere vt ſonant, κατὰ τὸ ῥητὸν iuxta verum, genuinum & grammaticum ſenſum, quem certa ipſorum ſignificatio, natura & vſitata grammatica reddit, atque omnes interpretationes verborum Chriſti quæ figuratam locutionem in cœna ſtatuunt, damnant, primum omnium de ſenſu verborũ Chriſti agemus,

nus, quærentes quod sit τὸ ῥητὸν seu genuinus & grammaticus sensus, & hunc non seruari ab aduersarijs demonstrabimus.

Verba Christi in hunc modum ab Euangelistis & Paulo Apostolo nobis tradita sunt, Dominum nostrum Iesum Christum postquam agnum paschalem cum discipulis suis edit, in illa vltima Cœna, accepisse panem, & quum benedixisset siue gratias egisset, fregisse & dedisse discipulis, dicendo, Accipite, comedite, HOC EST CORPVS MEVM: quod pro vobis datur; vel frangitur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter accepto poculo & gratijs actis id dedisse eis ac dixisse, Bibite ex eo omnes HOC EST ENIM SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, qui pro multis effunditur in remissionē peccatorum, vel HOC POCVLVM EST NOVVM ILLVD TESTAMENTVM in meo sanguine, seu per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur: hoc facite quotiescunque biberitis ad mei commemorationem. Quotiescunq; enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis vsque quo venerit. Horum verborum genuinus, simplex & grammaticus sensus est, Panem esse corpus Christi, & Poculum esse nouum Testamentum seu sanguinē noui

Quod sit τὸ ῥητὸν in verbis Christi.

Testamenti. Nam pronomen demonstrati-

HOC, de pane dicitur.

uum τοῦτο Hoc, panem ostendit: id enim quod accepit, quod fregit, super quo gratias egit, quod dedit discipulis & comedere iussit, hoc vocat Corpus suum: Panem autem accepit, Panem fregit (corpus enim Christi propriè non frangitur) Panem benedixit, seu super eo gratias egit, hunc dedit discipulis & comedere iussit: Itaque panis in hac oratione subiectum est, de quo prædicatur corpus Christi, est id, quod corpus Christi esse dicitur. Veteres etiam ita senserunt pronomen Hoc ad panem referri & Christum panem corpus suum vocasse. Tertullianus contra Iudæos, inquit, Christum panem corpus suum appellasse. Origenes, Deum Verbum, inquit, panem corpus suum fateri, & potum sanguinem suum. Iustinus, Panem & poculum cœnæ Dominicæ nominat alimoniam sacratam, & hæc inquit esse illius Iesu incarnati carnem & sanguinem. Irenæus, Panem eum in quo gratiæ actæ sint ait esse corpus Domini, & calicem sanguinis eius. Chrysostomus: Quid nam est panis? corpus Christi. Quid autem fiunt qui accipiunt? Corpus Christi. Augustinus. Quod ergo vidistis panis est & calix, quod etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi & calix

Lib. 3. & 4

Homil. 33. in Matth.

Apologia 2.

Lib. 4. ca. 34.

1. Cor. Homil. 24.

Ser. 24. ad Infantes.

calix sanguis. Item corpus & sanguinem Christi dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum rectè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam Dominicæ passionis. Quin etiam Lutherus in Defensione verborum HOC EST CORPVS MEVM, ait verba Christi de pane sonare, seu panem notare, ideo necesse esse corpus Christi in pane inesse: Et in breui confessione Wer nicht glouben wil daß deß Herren Brot im abentmal sey/sein rechter natürlicher lyb/ welchen der gottlose oder Judas eben so wol mundtlich empfehet/als S. Petrus vnnd alle heiligen/der laß mich nur zů fryden/ꝛc. Qui noluerit credere panem Domini in Cœna eius verum & naturale corpus esse, quod impius seu Iudas non minus oraliter percipiat, quàm Petrus & omnes sancti, hic à me facessat: attamen mox suas vsitatas interpretationes adhibet. Sunt tamen aliqui veteres & recentiores Sophistæ qui negant pronomen demonstratiuum HOC panem indicare: & quamuis aliqui iurati sint in verba Lutheri, tamen hic illi contradicunt, & fingunt Identicam propositionem, vbi ipsum subiectum sit prædicatum: ac alij quidam vagum quoddam indiuiduum demonstrant, quorũ opinionem aduersarij nostri ipsi quo-

Lib. 3. de Trinit. cap. 4.

Identica propositio.

que improbant, alij volunt simul cum pane demonstrari corpus Christi, neque hic panem propriè demonstrari à Christo, quem alioqui manifestè cernebant Apostoli, vt non necesse fuerit eius præsentiam demonstrare, sed ipsum Christi corpus, sicut etiam de sanguine dicitur HIC EST SANGVIS, ac aiunt similem esse locutionem vt si quis ferrum candens ostendat, ac dicat, Hoc est ignis, aut cantharum vino plenum, & dicat, Hoc est vinum. Sed hæc similia nihil eos iuuant, nam cantharus & ferrum ostenduntur, sed cantharus vinum figurate dicitur, eò quòd continens accipit nomen contentis, & ita ferrum candens ignis dici potest, quia ignitum est, vt sit permutatio causæ & effectus, aut partium: at illi nullam figuram hic ferunt. Deinde si concedamus hæc absque figura accipi posse, & demonstrari non Cantharum; sed vinum Cantharo contentum: tamen in huiusmodi locutionibus oportet duorum realem coniunctionem præcedere, vt hæc demonstratio verè locum habeat, nisi enim antea cantharus vino plenus fuerit nō rectè dicetur hoc esse vinum: at in Sacramento cœnæ non poni potest alia antecedens cōiunctio panis & corporis Christi, vt manu ad panem porrecta indicetur corpus Christi, sed ex ipsa institutione Sacramenti pa-

Si corpus non ostenditur est tropus. Deinde oportet prius fuisse cō iuncta.

ti panis hoc accipit demum vt dicatur Christi corpus. Nam etiamsi ponatur Vbiquitas corporis Christi, qua semper vbique adsit & ita etiam pani coniunctum sit, tamen nihilominus ab ipsis quoque peculiarem aliquam coniunctionem Christi cum pane, nempe Sacramentalem, ex institutione Christi statui oportet, alioquin eodē modo de quouis pane, imò de quauis re verè dici posset, hoc est corpus Christi. At si demonstratiua particula HOC ad panem simul & corpus refertur, vt si quis cantharum vino plenum ostendēs dicat, Hoc est vinum, & ita vtroq; demonstrato alterum tantum nominatur, tunc certè fuerit tropica locutio & Synechdoche in verbis Christi, & tamen contendunt nullum prorsus tropum in verbis testamenti admittendum. Et quoniam à nobis exigunt vt alijs locis scripturæ nostrum tropum probemus, eodem iure ab illis petitur vt suum tropum alijs locis probent & non id quod in quæstione est pro argumento sumant. Atque posita Synecdoche nihilominus quæritur quomodo coniungantur panis & corpus Christi, an substantialiter, an per relationem, vt nos dicimus. Quod si pronomen demonstratiuum non demonstrat panem, quid quæso distribuit Christus? quid in manus accepit & fregit? Si panem non osten-

Statuunt Synechdochē.

dit & hunc dicit eſſe ſuum corpus, ſed ſuum ipſius corpus tantum oſtendit, & de hoc dicit HOC EST CORPVS MEVM, quis vſus panis in Cœna, cur Paulus Panem communionem corporis Chriſti vocat? Et ſi pronomen HOC panem non demonſtrat, tamen apertè poculum monſtratum eſſe à Chriſto Lucas & Paulus teſtantur. Neque ab his diſſentit Matthæus, ſed eius verbis vim faciunt, quia ea ita interpretantur HIC SANGVIS EST NOVI TESTAMENTI, quaſi Sanguinis vox ſit ſubiectum in propoſitione. Nam in Græco eſt τοῦτο HOC, quod Lucas & Paulus explicant HOC POCVLVM. Quare à ſimplicitate verborũ & genuino & Grammatico ſenſu recedunt qui demonſtratiuum pronomen alio violenter quàm ad panem & poculum detorquent, hæc enim Ieſum accepiſſe, benedixiſſe, fregiſſe, diſtribuiſſe diſcipulis, iuſiſſe accipere & edere & bibere Paulus & Euangeliſtæ omnes teſtantur, ideoq; de his quoque dixit corpus ſuum & ſanguinem ſuum eſſe. Porro nulla quoque ambiguitas eſt in nomine corporis, non enim ſic figuratum aut ſpirituale aliquod corpus Chriſto affingimus, ſed fatemur hæc eius verba de vero ſuo & naturali corpore loqui, nam addit quod pro vobis frangitur, fractionis nomine paſsionem

Hoc τοῦτο demõſtrat poculum, & panem priori loco

intel-

intelligens, & de sanguine qui pro vobis effunditur. Hic cardo controuersiæ est quomodo panis sit corpus Christi, quomodo & cur panem hunc Christus suum corpus nominet. Musculus qui gloriatur se simplicem genuinum & grammaticum sensum verborũ Christi retinere, hunc sensum verborum Christi esse vult, quod his stabiliatur realis & substántialis præsentia veri corporis & sanguinis Christi, sic vt præsens ipse manu ministri mediante corpus verum, substantiale, naturale, & sanguinem verum in pane & vino & cum pane & vino sumentibus præbeat dignis & indignis, atque hic ipsam carnem quæ nata est ex virgine, & passa in cruce, & resurrexit à mortuis, fide & ore percipi atque manducari ait. Nam esse vnionem incomprehensibilem panis & corporis Christi, non quidem naturalem, personalem aut formalem, sed Sacramentalem & supernaturalem, qua statuatur in Cœna præsens corpus Christi realiter, substantialiter, naturaliter, sed admirando & adorando & supernaturali modo, & accipi ac manducari non visibiliter nec sensibiliter, sed incomprehensibiliter, inuisibiliter, supernaturali & corporali manducatione. Hæc est illa simplicitas verborum Christi, hic genuinus & grammaticus sensus, vbi seruator τὸ ἐν-

Status controuersiæ.

Aduersariorum sententia.

An nullus tropus sit admittēdus in uerbis Cœnæ.

τὸν. Etsi autem apparet cuiuis non prorsus occæcato multum recedi à simplicitate verborum Christi, id tamen nunc omittentes dicamus de rationibus ob quas nullam interpretationem nullum tropum & figuram in his verbis admittendam putant. Verba inquiunt sunt testamenti Christi, ideo simpliciter & absque figura accipi debent. An non autem verba Christi quę in crucę pendens dixit, sunt verba testamenti ipsius, quando suo sanguine sanciuit Nouum Testamentum? Atqui tum videns matrem & discipulum cruci astantes, dixit matri suæ, Mulier ecce filius tuus: & discipulo, Ecce mater tua. Num dicemus Ioannem verè filium fuisse beatæ virginis? Imò vltima verba Seruatoris in cruce pendentis non carent tropo: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: nisi enim Anthropomorphitæ esse voluerimus, tropum hic agnoscere oportet. In ipsa cœna, vt demus in his verbis HOC EST CORPVS MEVM nullum esse tropum, tamen ea quæ de poculo dicuntur absque tropo intelligi & exponi non possunt, HOC POCVLVM EST NOVVM TESTAMENTVM, neque enim quenquam ita desipere puto vt poculū putet verè & substantialiter esse nouum Testamentum. Nolunt hic tropum agnoscere, & ascen-

sionem

ſionem Chriſti in cœlos, ſeſsionem ad dexteram Patris, locos ſcripturæ de abſentia & diſceſſu Chriſti ex hoc mundo, & alios multos tropice aut allegorice exponunt, nouo more tantum ne hic tropum admittere cogantur. Nolunt tropum in vebis teſtamenti admittere, interim ex tabulis diuini fœderis integrum præceptum eradunt, de non faciendis & adorandis imaginibus. Apoſtolos fingunt ſimpliciter credidiſſe panem eſſe corpus Chriſti ſubſtantialiter, ſeu in pane ſibi præberi corpus Chriſti verè & eſſentialiter, ideoque Dominum non interrogaſſe, quorum exemplum nobis quoque imitandum ſit. Sed audiamus quid Chryſoſtomus de Apoſtolis ſcribat. Quomodo turbati non fuerunt cum audiſſent (Accipite edite hoc eſt corpus meum?) Quia multa iam & magna de hoc ante diſſeruit. Quapropter nec illud quod iam crebro perceperant confirmauit: Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: Quid igitur ſanguinem bibimus, & carnem edimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi ſolummodo propter verba ſcandalum paſsi ſunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipſe hoc fecit, vti tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret. Vult Chryſoſtomus Apoſtolos verba

Quomodo Apoſtoli hæc uerba intellexerint.

Christi intellexisse ex illa concione prius habita à Christo, quæ Ioan. 6. describitur: Vbi certe non statuitur corporalis, sed spiritualis manducatio corporis Christi. Quod si primo intuitu corporalis præsentia & manducatio statui videretur, tamen non statim hic sensus recipiendus erat sed conferendi prius alij loci, & videndum an talis sensus analogiæ fidei congruat, neque enim semper est natiuus sensus verborum scripturę is quem primo intuitu verba præ se ferunt, præsertim vbi mysticus sermo est, vt in sacramentis omnibus. Nunc quando ipsa verba non loquuntur de corporali manducatione non possumus eos ferre qui tátopere illam vrgent ac si euicissent hunc esse sensum verborum Christi. Paulus optimus est interpres verborum Domini qui 1. Cor. 10. scribit: Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quē frangimus nōne communio corporis Christi est? In eo igitur nobis vtrinq; conuenit, quod vtriq; agnoscimus communionem veri corporis & sanguinis seruatoris nostri Iesu Christi: nobis enim manifestam iniuriam faciunt, ne dicam turpissime mentiuntur, qui aiunt nos omnem præsentiam & communionem corporis Christi negare, Christum cœna excludere, & nullo modo agnoscere præsentem secundum hu-

Etsi uideretur hic sensus grammaticus non tamen mox recipiendum esset.

Non negamus cōmunionem corporis Christi.

dum humanam naturam, & merum panem & vinum seu nuda & vacua tantum signa in cœna Domini agnoscere: & tamen Zuinglius & Oecolampadius aperte semper testati sunt, se nunquam negasse corpus Christi à nobis edi, & sanguinem eius bibi, sed hoc fieri spiritualiter per fidẽ. Imo Lutherus ipse in amarulentissimo scripto, quod breuẽ Confessionem inscripsit, ait ipsos in colloquio Marpurgi, relicto veteri errore concessisse nõ esse merum panem & vinum in cœna Domini, verum etiam corpus & sanguinem Domini, sed tantum spiritualiter non corporaliter. Vbi rectè quidem de eorum sententia scribit, attamen ipsis iniuriam facit quasi ante colloquiũ Marpurgense aliter docuerint, cum scripta eorum testentur eos antea quoq; sic docuisse, vt facile cõstat ex Actis disputationis Bernæ habitæ, & ex respõsionibus Zuinglij & Oecolampadij ad Lutheri librum de verbis Domini. Sophisticè etiã nobiscum agũt, qui aiũt nos Christo aliud quoddã nouũ & spirituale corpus affingere, quando dicimus id spiritualiter à nobis edi in cœna: cum vox spiritualter nõ de natura aut essentia corporis Christi dicatur, sed modum præsentiæ & manducationis exprimat. Itaq; nõ de corporis Christi presentia & mãducatione, sed de præsentiæ & manducationis modo

Zuinglius non negauit cõmunionẽ corporis Christi.

controuersia est. Scio quidem aduersarios dicere, modum præsentiæ incomprehensibilem & ineffabilem esse, sed interim ipsi multis verbis hunc definire & exprimere conantur. Aiunt enim adesse corpus Christi corporaliter, realiter, substantialiter, naturaliter, sacramentaliter, non tamen naturali, sed supernaturali modo, non localiter, non quantitatiue, non qualitatiue, non circumscriptiue, sed definitiue, personaliter, aut repletiue, & ita volunt adesse, vt vniatur pani non personaliter aut localiter, sed sacramentaliter & supernaturaliter, ita vt cum pane, in pane, sub pane, iuxta panem manu ministri prorrigatur, & non tantum fide, sed ore quoque à pijs & impijs æqualiter sumatur. Certe his verbis modum exprimere volunt, quamuis reuera non exprimant, quoniam hæc quæ dicunt inter se pugnant & se mutuo euertunt. Porro cum claram explicationem sentētiæ suæ ab ipsis petimus, quomodo corpus Christi præsens sit, ad modum ineffabilē confugiunt & quia nihil habent quod respondere possunt, accusant nos quod impia quadā curiositate hæc quæramus, & hanc quæstionem QVOMODO aiunt Iudaicam & Capernaiticā esse. Sed si omnis interrogatio QVOMODO vitiosa esset, oporteret damnare Mariam virginem interrogantem angelum,

Modus præsentiæ quē aduersarij statuunt.

An liceat quærere. Quomodo?

lum, Quomodo erit iſtud quandoquidem virum non cognoſco? Damnandi eſſent Abrahamus, Gedeon, Samuel, qui hac quæſtione vſi ſunt. Quorum exemplo conſtat, quando non reuelarit Dominus aliquid ſecus futurum, aut factum eſſe, quàm ordinaria ratione agatur, licere modum quærere atque exigere, non quidem dubitando, ſed inſtructionem petendo. Et ſi Deus aliquem horum modorum verbo ſuo definiret, ſciremus abſque vlla hæſitatione aut contradictione credendum, nunc autem cum ipſi hæc dicant, neque ſuam ſententiam verbo Dei confirment, cur non licebit nobis interrogare quomodo hæc ſint & fiant? Atque vt ad ipſa verba Chriſti redeamus, Accipite, edite, HOC EST CORPVS MEVM QVOD PRO VOBIS TRADITVR, HOC POCVLVM EST NOVVM TESTAMENTVM in meo ſanguine. Vtrinq; agnoſcimus hæc verba Chriſti eſſe, & vera eſſe eo ſenſu quo à Chriſto dicta ſunt, quis autem hic ſenſus ſit quæritur. Fatemur verum Chriſti corpus in cœna manducari & ſanguinem bibi, ſed de modo manducationis inter nos non conuenit. Aduerſarij dicunt hunc eſſe ſenſum verborũ quod Chriſtus corpus ſuum realiter & ſubſtantialiter & naturaliter præſens cum pane & vino porrigat ore cor

Verba Chriſti.

Senſus uerborũ iuxta aduerſarios

Quis sensus verborũ, & modus præsentiæ.

poris manducandum. Noc dicimus Christum in sacra cœna, cum pane & vino externis symbolis, verum corpus & sanguinẽ sacramentaliter coniuncta, porrigere ad manducandum, non quidem ore corporis, sed spiritualiter per fidem: ita vt sicut pane & vino corpora nostra aluntur quoad hanc vitam, sic corpore Christi pro nobis tradito, qui est panis cœlestis & viuificus, homo totus spiritualiter alatur ad vitam æternam. Neque tantum communionem meriti aut efficaciæ Christi statuimus, quoniam fides nostra respicit Christum totum, neque meritum à persona separat, non magis quàm lucem à corpore Solis, eumq́ue totum agnoscit caput nostrum esse, & ita nos cum ipso Christo vnitos & coniunctos. Interea tamen profitemur ad hanc communionem quæ fide fit, non esse necessariam essentialem naturalem & corporalem præsentiam corporis Christi, qua cum pane essentialiter præsens ore corporis manducetur: imo hunc præsentiæ modum vt naturæ sacramentorum, articulis fidei & plurimis locis scripturarum, contrarium recipere non possumus. Nam quo ad verba Christi quorum simplicem & grammaticũ sensum se seruare falso iactant manducatio corporis Christi inde confici potest, non autem oralis manducatio, & corporalis naturalisq́; præsentia.

tia.

tia. Verba Christi sonant Panem esse corpus Christi, & Paulus panem ait esse communionem corporis Christi, & cum in verbis Christi duo disparata Panis & corpus Christi de se prędicentur, non potest hæc prædicatio simpliciter & identice intelligi, itaque & Papistæ per Transubstantiationem ea explicant, & isti nescio quam consubstantiationē fingentes à verbis Christi recedunt, & cum dicūt cum pane, & in pane, & sub pane corpus Christi realiter & naturaliter præsens esse, simplicem verborum & grāmaticū sensum non exprimunt, sed eam quam ipsi putant esse διάνοιαν verborum Christi, & velint nolint tropū in verbis Christi agnoscere coguntur: nam Brentius & Iacobus Andreę docent Synechdochen esse in verbis Christi Similiter cum nos negamus corporalem naturalemq; præsentiam corporis Christi, & oralem eius manducationem, ac spiritualiter & per fidem manducari Christi corpus dicimus, panem autem dici corpus Christi sacramētaliter, quia est signum, symbolum & figura corporis Christi, quo exterius sumpto ore corporis, fides sumit & percipit corpus Christi, non ideo negamus verba Christi, aut de eorum veritate dubitamus, sed horum sententiam & interpretationem, idque non ex nostra mente sed ex scripturis adferimus.

Confirmatio nostræ interpretationis.

Vnio sacramentalis.

Primum hoc inter nos & aduersarios conuenit, esse inter panem & corpus Christi vnionem sacramentalem, ideoq; locutionem sacramentalem esse, quando panis corpus Christi nominatur, quam illi super naturalem incompræhensibilem & ineffabilem esse aiunt: quod ex parte aliqua verum est. Nam quia symbola hæc non naturaliter significant & repræsentant res signatas, sed ex Dei institutione, recte illa vnio dicitur supernaturalis, solius enim Dei est sacramenta instituere: præterea si spectamus operationem internam diuinę virtutis in mentibus fidelium, per quam vere fruuntur non tantum signis, sed ipsis rebus significatis, est hæc efficacia quodammodo incomprehensibilis & ineffabilis. At non ideo sacramentalis vnio est substantiarum panis & vini cum corporis & sanguinis Christi substãtialis vnio & ineffabilis quædam consubstantiatio, sed in omnibus sacramentis duo statuuntur, signum & res signata, sacramentum & res sacramenti, quę vt Dialecticorum more loquamur, relatione mutua coniunguntur, qua fit vt signum accipiat nomen rei signatę. Augustinus ad Bonif. Si Sacramenta earum rerum quarum

Signum & res signata uniuntur relatione quadam.

rum sunt Sacramenta similitudinem non haberent, vtique sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Item contra Maximinum lib. 3. cap. 22. In sacramentis non quid sint, sed quid ostendant attenditur: quia signa sunt rerum aliud existentia & aliud significantia. Sic illa Abrahæ mandata circumcisio fœdus nominatur, & agnus mactatus dicitur Pæsah seu transitus, & hostia pro peccato nominatur peccatum. Lapis etiam quem Iacob statuit in symbolum Bethel vel domus Dei, ipsa domus Dei vocatur, locus ipse domus Dei & Deus de Bethel dicitur. Arca fœderis symbolum præsentiæ & auxilij diuini Iehoua exercituum sæpe nominatur. In nouo fœdere Baptismus dicitur ablutio peccatorum & regeneratio spiritualis: item in Baptismo dicitur indui Christus, & nos ei commori & sepeliri dicimur; quæ omnia non realiter & substantialiter, sed symbolice & sacramentaliter explicanda sunt. Ac monet Theodoretus non contemnendus author, ideo in sacramentis signis tribui nomen rei signatæ, vt qui diuina sumunt mysteria, non ad ipsam naturam rerum sub aspectu cadentium ob stupescerent, sed hac permutatione nominum adducerentur ad incomprehensibilem Dei gratiam contu-

Tropus hic in communis usus sacramentis usitatus est.

Gen. 28.

Tit 3.
Act. 22.
Gal 4.
Rom. 6.
Colos. 2.

In dialogo Inconuertibili.

Forma locutionum sacramẽtaliũ non est inusitata.

endam. Eſt autem hic tropus in communi ratione loquendi frequens & vſitatus, prę ſertim in pactorum & fœderum ratione. Ita ſigna ſolennia contractuum ſæpe nomina ipſa contractuum ſortiuntur, & monumenta earum rerum quarum ſunt monumenta, ſic ſtatuam Cæſaris Cæſarem nominamus, & ſæpe propter ſimilitudinẽ nomina permutantur. Chriſtus agnus dicitur, & petra, & rurſus Petra deſerti erat Chriſtus. Sic etiam Chriſtus ſe panem nominat: & tamen cum rei ſignatæ ſymboli nomen tribuitur tropum omnes facilè agnoſcunt, ſed cum rurſus ſymbolo pari ratione nomen rei ſignificatæ imponitur, tantopere (quod mirum eſt) à tropo abhorrent. Dauid cùm tres è numero heroũ exercitus ſui irruiſſent in caſtra Palæſtinorum, & attuliſſent illi aquam è ciſterna Bethlehemitica, quam deſiderauerat, noluit illam bibere, dicens: Abſit à me Iehoua vt faciam hoc. Num bibam ſanguinem virorum qui abierunt cum periculo vitę ſuæ? Hic aquam ſanguinem appellat, quia teſtabatur periculo effundendi ſanguinis illos ſe expoſuiſſe, & mirantur aliqui in Euchariſtia vinum ſanguinem dici, vbi teſtatur ſeruatorem noſtrum ſe non tantum expoſuiſſe periculo, ſed etiam reuera ſanguinem fudiſſe. Porrò noſtrum argumentum non eſt tale vt

qui-

quidam fingunt, Scripturæ, in quibusdam locis tropicè loquuntur: ergo verba cœnæ tropicè accipienda sunt. Sed hęc est argumenti summa. In omnibus sacramentis veteris & noui Testamenti signa per tropum accipiunt nō men rerum signatarum, & signum ac res signata relatione coniunguntur, non autem realiter & substantialiter idem sunt. Ergo etiam in cœna panis per tropum corpus Domini vocatur & non substantialiter, sed relatiue cum corpore Christi coniunctum est. In hunc autem modum sacramentaliter verba cœnæ vetus ecclesia sẽper intellexit, & interpretata est nomine signi, symboli, figurę typi, &c. id quod Patrum innumeris pene testimonijs ostendi potest. Tertullianus: Acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meũ dicẽdo: hoc est figura corporis mei. Ambrosius, Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilẽ, acceptabilẽ, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Beda. Christus pro carne & sanguine agni, suę carnis sanguinisq; sacramentũ in panis ac vini figura substituit. Bertramus. Panis ille vinumq; figurate Christi corpus & sanguis existit. Item: In pane illo non solũ corpus Christi, verùm corpus etiam in eum cre-

Patres per tropũ interpretati sunt uerba cœnę

Aduersus Mart. li. 4.

De sacramentis. lib. 4. cap. 8.

In Lucam.

" dentis populi figuratur. Et corpus Christi " quod in ecclesia per mysterium geritur, secun" dum quendam modum corpus Christi esse co" gnoscitur, & modus iste in figura est & imagine. D. Augustinus Iudam adhibuit ad conuiuiū, in quo corporis & sanguinis sui figuram, discipulis suis commendauit. Idem: Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum cum daret signum corporis sui. Idem de verbis cœnæ in libro 3. de Doctrina Christiana scribit. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Omitto hic Græcos qui typum & antitypum, symbolu, mmysterium corporis & sanguinis Christi nominant. Ideoque nostra interpretatio nec aliena est, cum eadem ratio sit omnium sacramentorum, nec detorta & violenta, cum non recedat à loquendi ratione spiritui sancto vsitata, neq; etiam noua, cū vetus Ecclesia verba Christi in hunc modum intellexerit & interpretata sit.

In expositione Psal. 3.
Cōtra Adimantum. lib. 1. ca. 12
Basilius.
Chrysostomus.

Deinde neminem putamus ambigere vtriusque signi in cœna sacra parem rationem esse, at quæ de poculo scribuntur ea omnino tropice accipienda sunt. Calix enim dicitur nouum Testamentum, neque tamen poculum

Quæ de pôculo dicta sunt non possunt absque tropo exponi.

neque

neque quod eo cōtinetur vinum, eſt reipſa nouum Teſtamentum. Neque dici poteſt per ſynechdochen, qua continens nomen accipit rei quæ continetur, calicem ſanguinem Chriſti & nouum Teſtamentum nominari. Negant enim ſanguinem ita poculo contineri ſicut vinum cantharo continetur: teſtamentum autem calice contineri nemo puto dixerit. Et quum alij Euangeliſtæ inquiunt τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμα μου eodem tropo quo Paulus & Lucas vtuntur, nam τοῦτο nihil aliud referre poteſt quàm poculum, quod Christus in manus accepit, & Apoſtolis dedit, & Paulus expreſſo ſubiecto docet quo pronomen demonſtratiuum referri debeat. Atque vt ſequamur eorum interpretationem, tamen hoc dictum HIC EST SANGVIS MEVS idem valebit, atque hoc Pauli & Lucæ, Hoc poculum eſt nouum Teſtamentum in ſanguine meo: niſi velint Matthęum & Marcum à Paulo & Luca diſſentire. Quod ſi par eſt ratio vtriuſque ſymboli, idem erit HOC EST CORPVS MEVM, atque ſi dixiſſet, Hoc eſt nouum Teſtamentum in corpore meo, vel hoc eſt corpus noui Teſtamenti. Quin etiam ipſum noui Teſtamenti nomen docet qualem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, & qualem manducationem ſtatuat Chriſtus: non aliam ſcilicet quam

quatenus noui Testamenti corpus & sanguis sunt. Sed corpus Christi ad Noui Testamenti confirmationem refertur quatenus victima fuit qua Deus nobis reconciliatus est, & sanguis quatenus effusus est in remissionem peccatorum. Corporis autem & sanguinis Christi societate participes reddimur noui Testamenti, non corporali horum exhibitione, sed ineffabili illa vnione Christi capitis cum membris suis, atq; cõmunicatione virtutis ac efficaciæ, quæ ex viuifica illorum substantia manat, & spiritualiter à nobis percipitur, vt Christus docet Ioannis 6.cap.

Memoria cũ præsentia pugnat.

Præterea Christus sacramentum cœnæ instituens iussit hoc facere in sui memoriam seu cõmemorationẽ. At D. August. scribit: Neminem recordari alicuius rei, nisi quæ in præsentia non sit posita. in Psal. 37. Itaque sacrificium Christi à cœna distinguit, quod illud promittebatur veteribus, per ipsam veritatem reddebatur in passione, nunc verô eius memoria celebratur. Contra Faustum lib. 20. cap. 21. & lib. 6. cap. 5. Multô aũt clarius à D. Bernardo memoria & realis præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna opponũtur: statuit enim hoc discrimen inter nos & angelos, quod illi reali præsentia Christi fruantur, cum nos memoria tantum fide ac spiritu quasi per speculum

lum in ænigmate Chriſtum intueamur. Neque tamen propterea ab illo nuda ſigna conſtituuntur, ſed fatetur Chriſtum ipſum nobis proponi, ſed ſub ſacramenti cortice velatum. Eſt enim etiam certa veritas realiter quoque abſentium rerum quarum hypoſtaſis eſt fides. Apoſtolus etiam iubet in celebratione huius ſacramenti annuntiare mortem Domini donec veniat, & ita interpretatur verba Chriſti iubentis hæc in ſui memoriam facere, nempe vt non curioſe quæramus corporalem præſentiam, quando corporaliter extremo demum die venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos, ſed vt beneficium hoc quod morte ſua nobis præſtitit, & hoc ritu efficaciter impertit, ſemper animo intueamur, & de ipſius gratia & auxilio minimè dubitemus, & ita fide man ducemus corpus pro nobis traditum & ſanguiné pro nobis fuſum bibamus. Quod ſi annuntianda eſt mors Domini donec venerit, is autem realiter in cœna adeſt, debet igitur cœna ceſſare, & hac ratione eius vſus tolleretur.

Annuntiare mortem Domini donec uenerit.

Præterea vbi Chriſtus panem corpus ſuum & vinum ſanguinem ſuum in ſacra cœna nominat, non abſolute de corpore ſuo loquitur, ſed quatenus corpus pro nobis traditur, & ſanguis pro nobis funditur. Quatenus ſeipſum

Corpus & ſanguis offeruntur quatenus pro nobis tradita.

obtulit vt esset victima pro peccatis nostris ad reconciliandum nobis patrem cœlestem & abluenda peccata, hactenus corpus suum & sanguinē nobis offert in cibū & potū, vt aūt fruamur hoc beneficio non necesse est statui realem coniunctionem cum pane & vino, & corporalem manducationem. Sicut Solem præsentē habemus quatenus illuminat oculos nostros, neq; tamē necesse est corpus Solis absolute præsens realiter adesse oculis nostris. Absoluta caro & absolutus sanguis non possunt cibum & potum præstare animabus nostris, quę nō nutriūtur corporata aliqua substātia: itaq; cū Christus nobis dederit corpus suū in cibū, & sanguinē in potū, non dedit hæc quatenus sunt corporea substātia, sed quatenus sunt pro nobis effusa & tradita. Et eo tēpore quo Christus cœnam instituit, corpus nondum in mortem traditum erat neque sanguis effusus, & tamen nihilominus Christus tāquam de re præsenti loquitur, Quod datur inquit & frāgitur, & qui effunditur, ostendens se dare donum non actu, sed virtute & efficacia præsens.

Eadem ratio verbi & sacramentorum.

Comuni etiam consensu thologorum receptum est, sacramentū esse visibile verbū Dei, & eandem esse præsentiam Christi in verbo & sacramentis: atque veteres, vt Origenes & Hieronymus, statuunt duas rationes edendi & bibendi

Homil. 7. in Num. In

& bibendi corpus & ſanguinē Domini, in verbis, & in Sacramentis ſeu in myſterio. Et inter recentiores, vt alios nunc omittam, idē docuit Brentius, qui in Exegeſi in Ioannem ſcribit. Iam quemadmodum per verba Euangelij, credentibus offeruntur & communicantur dona Dei, ita & per Sacramenta verbo affixa. Sunt enim Sacramenta ob hanc cauſam verbo adiecta, vt ſint media inſtrumenta, vna cum verbo, quibus credentibus dona Dei communicarentur. Sed verbo ſcripturarum non eſt coniunctum corpus Chriſti aliter quam ſignificatione, verba enim notæ & ſigna ſunt: quare non aliam quoq; corporis Chriſti cum externis ſymbolis coniunctionem ſtatuere debemus.

Eccleſiaſt. 3. cap.

Statuuntur etiā ab omnibus veteribus duæ tantum partes Sacramentorum ſignum & res ſignata, ſignum viſibile & inuiſibilis gratia, res terrena & cœleſtis, quæ non realiter coniuncta ſunt, alioqui omnes ſignum percipientes, cœleſtis quoque inuiſibilis gratiæ participes eſſent, quod aduerſarij non concedunt, qui impios percipere volunt corpus Chriſti, non tamen gratiæ & viuificationis eſſe participes. Itaque videntur tria ſtatuere, externa ſymbola, deinde corpus & ſanguinem Chriſti, & gratiam inuiſibilem: atque ita à ſimplicita-

Duæ tantū partes Sacramentorum & hæ nō realiter coniuncta.

te orthodoxæ doctrinæ recedunt.

Christus docet carnem suã manducãdam esse spiritualiter per fidẽ

Postremo scriptura docet, manducari Christi corpus & bibi sanguinem eius, spiritualiter & per fidem Ioan. 6. cap. Itaque cum in cœna iubemur corpus Christi edere & sanguinem eius bibere: quod ad ipsum corpus Christi & sanguinem pertinet, nõ instituitur aliud manducationis genus in cœna, quam quo fideles corpus Christi edunt per fidem: adduntur tamen in cœna externa symbola, quibus fides communicantium prouocetur, ostendaturq; quid manducatio spiritualis corporis Christi conferat, nempe id quod panis in cibum sumptus, & vinum in potum, vitæ comedentium & bibentium præstare solent. Ideoq; non modò Chrysostomus, sed alij quoq; Patres verba cœnæ per verba Christi Ioan. 6. interpretantur. Quod autem aliam manducationem corporis Christi in cœna quidam statuunt, prȩter Dei verbum faciunt. Editur Christi corpus in cœna in Sacramento, quando Sacramentum seu signum, quod etiam symbolicôs corpus Christi nominatur, ore percipimus, & ita veteres dixerunt Christum in Sacramento edi. At ipsam Christi carnem veram & substantialem pro nobis traditam, & sanguinem pro nobis effusum, aliter quàm per fidem manducari ex verbo Dei ostȩndi non potest: nam si ob-

ijciunt

ijciunt verba hæc: Accipite, edite, hoc est corpus meum: vtuntur elencho Petitionis principij: verba enim Christi nos iubent corpus eius edere & sanguinem bibere, at oralis & corporalis manducatio nusquam ne verbulo quidem innuitur: ea autem quam nos docemus, & alijs Scripturæ locis & Patrum testimonijs confirmatur.

Quare præsentiam carnis Christi corporalem reijciamus.

Porro ne statuamus realem & naturalem præsentiam corporis & sanguinis Christi in pane & vino cœnæ Dominicæ, & eorum oralem manducationem, mouent nos absurda quæ hinc consequuntur, quæ non tantum rationi absurda sunt, sed cum Scripturis & fide pugnant.

Primum realis præsentia corporis Christi in pane aut cum pane, qua vel vbique, vel simul innumeris locis præsens sit realiter & substantialiter & naturaliter, abolet humanæ naturæ veritatem in Christo seruatore nostro, & doctrinam incarnationis, quæ est fundamentum salutis nostræ euertit. Christum enim ex Scripturis didicimus veritatem humanę naturæ ita assumpsisse, vt nobis per omnia similis factus sit excepto peccato. At vero humanum

Realis præsentia pugnat cum ueritate humanæ naturæ.

corpus definitum & circumscriptum non potest simul in multis locis præsens esse. Et Christum ante & post resurrectionem suam à mortuis, ita in vno loco corpore suo præsentem fuisse, vt alibi eodem tempore corpore suo nõ adesset, sacræ literæ apertè testantur. Porrò vbique præsentem esse diuinæ naturæ ita proprium est, vt hinc firmissimè Patres probauerint Deitatem Spiritus sancti: & non dubitarint asserere diuinam naturam si corporea esset, circumscriptam quoque & in loco fore. Quare si Christo tribuitur omnipræsentia corporis, veritas corporis in eo aboletur. Et omissa iam omnipræsentia, ex illa reali præsentia qua multis simul in locis pręsens sit æque multa absurda consequuntur. Exempli enim causa illam ipsam cœnam consideremus, quam Christus cũ discipulis sumpsit. Assedit Christus corpore suo vero mensæ vnà cum discipulis, idque vere, realiter, aspectabiliter: & tamen iuxta horum sententiam suum verũ corpus realiter & inuisibiliter discipulis sub pane & cum pane manducandum dedit: & corpus eius mortale & patibile tũ erat, & illud ipsum impatibiliter & supernaturaliter edebant discipuli. Itaque sequitur Christi corpus simul & eodem tempore visibile & inuisibile, patibile & impatibile, mortale & immortale, fra-

ctum

ctum & integrum tum fuiſſe, imò Chriſtum plura habuiſſe corpora, illud quod videbant diſcipuli & illud quod accipiebant, illud quod porrigebat illis panem & poculum, & illud quod vnà cum pane & poculo porrigebatur. Hæc an non humanæ naturæ veritatem tollunt? Scio omnia abſurda huiuſmodi repelli ab aduerſarijs clypeo diuinæ omnipotentiæ: ſed primum ad omnipotentiam confugiendũ eſt vbi nobis de voluntate Dei conſtat. Nondum probarunt Chriſtum voluiſſe nobis in cœna corpus ſuum realiter & corporaliter in pane dare. Sępe enim diximus id nequaquam effici his verbis HOC EST CORPVS MEVM, de quorum ſenſu cum ſit controuerſia, ipſi tamen ſubinde ſophiſtico more id quod controuerſum & in quæſtione poſitum eſt pro argumento ſumunt. Deinde omnipotentia Dei non implicat contradictionem, alioqui veritati diuinæ aduerſaretur. Neque omnipotentia Dei facit vt eodem tempore actu & reipſa aliquid ſit & non ſit, vt corpus Chriſti eodem tempore ſit infinitum ſimul & circumſcriptum, eodem tempore ſit patibile & impatibile, adſit & non adſit: idq; realiter, ſubſtantialiter & naturaliter. Neque enim quærimus an naturaliter loco definiatur, per energiam autem præſens ſit; aut perſonaliter

Omnipotẽtia Dei.

præsens. Sed quæstio hactenus fuit de reali & substantiali & corporali præsentia corporis Christi, an sacerdos manu porrigat & percipiens Sacramentũ ore sumat ipsum corpus Christi verum & naturale, realiter, substantialiter, corporaliter. Scimus quibus verbis & Lutherus vsus sit & alij adhuc vtantur.

Ascensio Christi, & scripturæ quę eius ab sentiam testantur.

Pugnat deinde realis præsentia corporis Christi cum articulis fidei nostræ & plurimis scripturarum locis. Credimus enim secũdum scripturas Christum corpore suo in cœlos ascendisse, & inde demum extremo die venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Non est autem dubium Ecclesiam semper articulum hũc intellexisse, quod in locum cœlestem corporali & physica locatione ascenderit. Nostra demum ætate ad corporalem in cœna pręsentiam asserendam, alij ascensionem transparitionem quandam fecerunt & allegorice interpretati sunt: alij ad omnipotentiam confugientes volunt corpus Christi in cœlo simul & in terra in pane præsens esse, neque hic contradictionem esse, quã tamen omnes nisi ipsorum more excæcati vident: alij corpus Christi in cœlo certo loco esse volunt physice, attamen modo maiestatis aut dexteræ Dei seu personaliter in cœna præsens esse. Ita ne vnum tropum in verbis cœnæ admittere cogantur,

nouas interpretationes articulorum fidei, nouos loquendi modos, & insolitos in alijs locis tropos confingunt. Eadem ratio est plurimorum locorũ scripturæ in quibus testatur Christus se non amplius corporaliter in terris præsentem fore, id quod plurimis agit in illa concione quam in vltima cœna habitam Ioannes copiose descripsit. Et in alijs locis, vt cum inquit: Pauperes semper habebitis, me autẽ semper non habebitis. Marc. 14.

Præterea hoc quoque absurdum ex aduersariorum sententia consequitur: vt si in pane realiter adest corpus Christi, & in vino sanguis vt dicamus in pane simul adesse sanguinem aut non adesse, & itidem de corpore vt simul adsit vel non adsit cum sanguine in vino: si adesse simul negant, sequitur realis distractio corporis & sanguinis Christi, quam asserere impium est: si simul adesse dicunt, corpus & sanguinem congeminant, & bis vtrunque in communione præbent, semel sub pane, & iterum in vino.

Distractio uel geminatio corporis Christi.

Adhæc, Christus ipse docet corporalem hanc manducationem inutilem esse Ioan. 6. Cum enim prolixa concione docuisset veram & salutarem sui corporis manducationẽ quæ fide fiat, Capernaitæ verba Christi de edenda carne sua & sanguine suo bibendo non intel-

Corporalis manducatio repudiatur ab ipso Christo.

ligentes, quærebant, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare qua veſcamur? Quidam etiam ex diſcipulis offenſi dicebant, Durus eſt hic ſermo: quis poteſt eam audire? Ieſus autem ſciens eos de hoc murmurare dixit, Hoc vos offendit? Quid ſi igitur conſpiceritis filium hominis aſcendentem eò vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat, caro nō prodeſt quicquam: Verba quæ ego loquor vobis ſpiritus ſunt & vita: ſed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. Etſi autem Chriſtus alio tempore cœnam ſuam inſtituit, id tamen nō obſtat quo minus ea quæ hic de manducatione corporis ſui tradit ad cœnam referamus, nam non alia eſt manducatio corporis Chriſti in ſe quam ea quæ Ioannis 6. docetur, in cœna autem ad hanc accedit externa & oralis manducatio, quando in Sacramento & Symbolo manducatur, ibi namque ex Chriſti inſtitutione non tantum fide manducatur corpus Chriſti, ſed ore ſumitur externum ſymbolum quod Sacramentum eſt veri corporis, & ideo etiam corpus Chriſti nominatur. Atque ita plerique veterum verba Chriſti intellexerunt & ad cœnam accommodarunt: atque tradidere nonnulli ideo beatum Ioannem Euangeliſtam non deſcripſiſſe inſtitutionē cœnæ Dominicæ: quod capite 6. ſatis explicaſſet manducationem cor-

poris Christi, sic vt concio Christi ab eo tradita, debeat esse loco interpretationis eorũ verborum, quibus in cœna Christus corpus suũ ad edendum & sanguinem ad bibendum porrexit. Si concio illa ab aliquo Apostolorum habita fuisset; dubitare possemus an ad cœnam pertineret, sed cum Christus qui optime nórat, quibus verbis cœnam instituere vellet, hæc docuerit, & vtrobiq; iubeat corpus suum edere & sanguinem suum bibere, neque discrimen ponat vllum, cur nos faceremus aliam manducationem veri & realis corporis Christi ab illa quam Ioan. 6. tradidit & docuit fide fieri? Neque vero tantum docuit manducationem hanc spiritualem esse, sed carnalem manducationem nihil prodesse ait. Quod enim ait, Caro nihil prodest: non potest de carne Christi absolute dici: quis enim piorum ferat vt dicamus carnem Christi, quæ verè est cibus vitæ æternæ, nihil prodesse? Neque hic carnis nomine Vetus homo intelligitur. Opponuntur quidem aliquando caro & spiritus, vt carnis nomine vetus homo significetur, sed hoc non est perpetuum in hac oppositione, vt falso aduersarij asserunt: nam cum Christus dicitur mortuus carne, viuificatus spiritu, Caro & spiritus opponuntur, neque tamen carnis nomen veterem Adamum significat. Sic etiam

Caro quomodo nihil prosit.

hoc loc caro & ſpiritus opponuntur, ſed quia de carne Chriſti verba fiunt, hæc de carne eius accipienda ſunt, non quidem abſolute, ab ſit: ſed cum de carne Chriſti manducanda quęſtio eſſet, verba hęc ad manducationem carnis Chriſti pertinent. Caro igitur Chriſti non abſolute dici debet nihil prodeſſe, hoc enim blaſphemia eſſet, ſed carnaliter manducata & ſeparata à ſpiritu, ſicut manducandam putabant Capernaitæ, nihil prodeſt. Atque Auguſtinus ita interpretatur verba Chriſti. Spiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt: verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus eſt & vita. Spiritualiter intelligite, quod locutus ſum vobis. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentũ aliquod vobis commendaui, ſpiritualiter intellectum viuificabit vos. Neque ſe tueri aduerſarij poſſunt quod à Capernaïtis differant, quoniam illi exiſtimarint carnem Chriſti coctam, aut in fruſta conciſam comedendam eſſe, & quod iudicarint eo modo comedendam quo carnibus in macello emptis veſcimur: nã Capernaitarum falſa opinio qualis fuerit, ex his verbis apparet: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Et Patres teſtantur eis horrendum viſum humana carne veſci: item

Aduerſarij ſunt Capernaitæ.

ſci: item

sci: item eos putasse corpus Christi dentibus atteri, & ventre absorberi. Et certe ex contraria manducatione quam Christus docet, apparet quę illorum fuerit opinio. Nam Capernaiticæ manducationi opponitur à Christo spiritualis manducatio, quæ fit per fidem: Itaq; etiamsi non omnino eundem modum manducationis cum Capernaitis asserant, docent tamen carnem Christi realiter & corporaliter ore corporis manducandá, & dentibus atterendam, idq; sensualiter, si modo confessionē Nicolai Papæ quam Berengario præscripsit, quá etiam Lutherus probauit, retinere voluerint: hæc autem manducatio prorsus contraria est illi quam Christus docuit, Ioan. 6. Nam spiritus & spiritualis manducatio non tantum opponitur manducationi carnali quæ particulatim fit, sed omni carnali & corporali manducationi. Ac nostri aduersarij asserentes carnem Christi non minus à Iuda quàm Petro, ab impijs & infidelibus, quàm pijs & credentibus in cœna Domini manducari, an non eá à Spiritus viuificatione seiungunt, & meram carnalem manducationem statuunt?

Impios Christum edere absurdum est.

Porrò impiorum manducatio quam pertinaciter defendunt, videtur quidem ipsis necessaria ad stabiliendam realem præsentiam carnis Christi, sed opinio hæc prorsus absurda

est, & scripturis atq; veteris Ecclesiæ doctrinæ repugnat. Christus enim inquit: Quisquis ederit carnem suam, & biberit sanguinem suũ hunc vitam habere, & in se manere, atq; se in illo. Impij autem neq; vitam in se habent, neque Christo coniuncti sunt, non igitur Christi carnem edunt & sanguinem eius bibunt. Neq; hic distinctione aliqua opus est, an non enim clara & perspicua sunt Christi verba? an non vitæ perceptionem cũ corporis sui manducatione coniungit? corpus Christi viuificum est, vt autem hæc spiritualis & viuifica vis à carne eius separari non potest, ita etiam hæc duo in perceptione corporis Christi non sunt diuellenda. Lutherus in Libro de verbis Cœnæ, scribit de carne Christi: Hic cibus eum à quo manducatur suæ naturæ participem facit & spiritualem. Eodem libro scribit, Corporalem manducationem carnis Christi prodesse ad remissionem peccatorũ. Hinc autem sequeretur, impios qui iuxta aduersariorũ sententiam carnem Christi corporaliter, realiter, substantialiter, comedũt spirituales esse & peccatorum remissionem habere. Dicunt impios corpus Christi sumere sibijpsis ad iudicium, & sicut Euangelium aliquibus odor est mortis ad mortem, ita non mirum esse si corpus Christi ad mortem sumatur ab impijs, Christum

ſtum nanq; non tantum ſaluatorem, ſed iudicem eſſe. Sed hæc ſunt diſsimilia, quibus enim Euangelium eſt odor mortis, hi non percipiunt rem ipſam quæ Euangelio offertur, externam tantum prædicationem ad ſui condemnationem audiunt: at in Sacramento impij non tantum ſymbola, ſed rem ipſam iuxta ipſorum ſententiam accipiunt. Chriſtum iudicem eſſe quis negat, ſed cum in pane & vino corpus & ſanguis percipienda offeruntur, an ea in iudicium offeruntur, an vero vt viuifica alimonia? Inſtituant igitur ſumptionem talem qualis aliquando in Papatu recepta fuit, dare corpus Chriſti ad iudiciũ ſiue ad probationem. Apoſtolus inquit eos qui panem hũc ederint aut poculum biberint, reos teneri corporis & ſanguinis Domini, & ſibijpſis damnationem edere & bibere, quia non diſcernant corpus Domini. Non dicit impios ipſum corpus Chriſti edere & ſanguinẽ bibere, ſed quia non diſcernunt corpus Domini reos eſſe, illi corpus Domini nõ percipiũt, ſed illis in ſymbolo oblatum negligunt & tanquam rem aliquá vilem contemnunt. Neq; neceſſe eſt illis realiter pręſens eſſe corpus, quaſi alioqui in illud non peccare poſsint, cum alibi de impijs apoſtatis ſcribatur eos proculcare filium Dei, & ſanguinem fœderis profanum æſtimare &

Christum denuo crucifigere : qui tamen non ideo realiter præsens corpus Christi habuere. Mirum autem est aduersarios ne corpus à pane, cui sacramentaliter vnitum est, diuellát, Christi corpus à viuifica sua vi seiungere, ita vt Christum in se habentes eius efficaciá non sentiant. Veteres etsi aliquando videntur impijs tribuere quòd sumant corpus Christi, quòd scilicet id sumunt in sacraméto, signum corporis accipientes, quod nomen rei signatæ habet, nihilominus seipsos optime interpretantur, & distinctè docent quid de impiorum sumptione sentiendum sit. Augustin : Escam vitæ accipit, & æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet , & cuius Christus habitator est: nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat nec sanguinem bibit, etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat. Idem alibi scribit Apostolos pané Dominum edisse, Iudam pané Domini contra Dominú. In Ioan. tract. 59. Item aliud esse sacramentum, aliud virtutem sacramenti, ac eú qui non manet in Christo, non manducare spiritualiter carnem eius, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi. Hieronymus eos qui non sunt sancti corpore & spiritu , afferit non comedere car-

In sententijs Prosperi.

In Isa. 66. cap.

re car.

re carnem Iesu & bibere sanguinem eius. Postremò etsi pudet nos hoc obijcere, & licet impietatis nos arguant, qui tam crassè de sacro corpore Christi loquamur, tamē eorum crassa opinio nos hæc loqui cogit: & reuera non de Christi corpore hæc dicta volumus, sed de ipsorum opinione: & eo modo accipienda quo veterum anathema in Deum Mahumeti; non enim execrabantur Deum creatorem cœli & terræ, sed Deum quem falsò hoc nomine vocabat Mahumet, qui non Deus sed idolum & figmentum illius pseudoprophetæ erat. Ita nos hæc nequaquam de Christi carne viuifica dicta volumus, sed de aduersariorum opinione, vbi fingunt reale quoddam corpus Christi, quod non est Christi corpus, sed ipsorum figmentum. Aiunt corpus Christi oraliter manducari: & quando Lutherū sequuntur qui Papæ sententiam se probare aliquoties in suis scriptis testatur, non possunt improbare Berengarij confessionē à Papa illi pręscriptā, nempe verum corpus & sanguinem Christi sensualiter & in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri. Iam verò hæc non nostra sed Christi verba sunt, Quicquid ingreditur in os in ventrem cedere & per latrinam eijci. Porrò quid hinc conficia

tur manifeſtum eſt: ſed tantę huius abſurditatis & impietatis cuius nos arguűt, & ob quam ad Chriſti tribunal vocant, ipſi cauſa ſunt, non nos qui hæc illis obijcimus. Propoſitio argumenti nō eſt noſtra, ſed verba Chriſti ſunt clara, perſpicua in ſuo ſenſu genuino. Aſſumptio argumenti corpus Chriſti ore manducari & per os ingredi, ipſorum eſt inuentum. Nuſquam ſcripturæ ita loquuntur: & vbi Chriſtus nos iubet manducare carnem ſuam, ipſe ſe explicat de qua manducatione, ſpirituali nempe per fidem loquatur: Et Auguſtinus orationem figuratam eſſe inquit, quoniam alioqui facinus & flagitiū præciperetur. Porro ne ex præmiſsis abſurda illa concluſio quam effari nolo, conficiatur, non Maior argumenti ipſis immutanda eſt, cū ſint verba Chriſti, ſed oralis manducatio quam extra & præter ſcripturas confinxerunt, tollenda erit.

Non tollimus cōmunionē ueri corporis, &c.

Porro hic denuo repetendum eſt, quando negamus Realem, corporalem & naturalem præſentiam carnis & ſanguinis Chriſti, & horum ſubſtantialem coniunctionem cum externis ſymbolis panis & vini, atq; oralem horum manducationem, nos propterea communionem veri corporis Chriſti non tollere, aut Chriſtum omnimodo à ſua cœna abſentem facere, & nuda ſigna ſtatuere, ita vt fideles tantū

panem

panem & vinum in cœna Domini accipiant, ſicut Iacobus Andreæ & alij falſo de nobis ſcribunt. Docemus enim coniunctionem ſeu cõmunionem ſpiritualem, veram tamẽ cum corpore & ſanguine Chriſti: licet enim hæc in cœlis, & non in his terris realiter & ſubſtantialiter præſentia ſint, tamen noſtræ cum Chriſto coniunctioni locorum diſtantia non obſtat: hæc autem edi & bibi credimus, non ore corporis, ſed animi, ſpiritu & fide imbuti: fide enim conſtare hanc manducationem Chriſtus docuit Ioan. 6. Fides autem noſtra nõ in phantaſma aut rem fictam, neque tantũ in meritum Chriſti, ſed in ipſum Chriſtũ dirigitur, & corpus Chriſti verum & naturale quod Verbum ex Virgine aſſumpſit amplectitur: vnde iniuriam faciunt nobis qui communionem & perceptionem veri & ſubſtantialis corporis Chriſti nos negare aiunt. Corpus Chriſti à cœna quo ad realem & corporalem præſentiam abeſſe confitemur, ſed ipſam carnem & ſanguinem Chriſti nobis præſentia eſſe credimus in-ſua, ſpiritu, gratia, meritis & admirabilibus fructibus quæ inde in nos deriuantur, ita vt non tantum hæc animis noſtris præſentia ſint ſpiritualiter & per fidem, ſed corpora etiam noſtra beatæ reſurrectionis capacia inde reddantur, credendo enim corpus & ſangui-

nem Domini esse pretia nostræ salutis, iustificamur, & regeneramur, vel augemur & confirmamur in ipsa iustificatione & regeneratione, hæc autem principia sunt nostræ immortalitatis. Libenter autem recipimus locutiones Veterum, qui dicunt nobis dari gratiam corporis Christi, vitę atque immortalitatis alimoniam. Nos manducare vitam & bibere vitam: recipere nos gratiam & veritatem inuisibilem: gratiam & societatem membrorũ corporis Christi. Sentire Dominum præsentem in gratia. Recipere cibum cœlestem & superne veniẽtem. Proprietatem naturalis communionis, Naturam carnis, & benedictionem viuificatiuam in pane & vino: virtutem propriæ carnis Christi, vitam & gratiam corporis, vnigeniti proprietatem, id est vitam. Fatemur nos recipere mysticum Christi aduentum, gratiam & veræ naturæ virtutem: item veræ carnis sacramentũ, corpus per gratiam. Carnem spiritualem, sed aliam ab ea quæ crucifixa est. Gratiam influentem in sacrificium & spiritus gratiam. Fatemur secundum id haberi in sacramento cœnæ Dominicæ corpus Christi, videlicet quod sit in eo spiritus Christi, id est, diuini potentia verbi, quæ non solum animam pascit, verumetiam purgat. Quod si quidam his non contenti sunt, & existimant, nullam posse fieri ve-

Cyprianus. Augustinus. Emissenus. Athanasius. Hilarius. Cyrillus. Basilius. Ambrosius. Epiphanius. Hieronymus. Chrysostomus. Bertramus.

ram communionem carnis & ſanguinis Chriſti niſi hæc ſubſtantialiter & corporaliter præſentia ſint, hi fidei naturam non bene expendunt, & quod nobis obijciunt ipſi faciunt, potentiæ Dei parum tribuunt, nimiſque craſſe et phyſicè de rebus diuinis & ſpiritualibus exiſtimant: nam alioqui ſalua humanæ naturæ veritate & proprietate, facile abſque reali coniunctione & quaſi phyſico contactu, veram & ſpiritualem veri corporis & ſanguinis Chriſti cómunionem quam fide percipimus vnà nobiſcum defenderent.

Qualem vbiquitatem corporis Chriſti aduerſarij doceant, & an inde probetur præſentia realis corporis Chriſti in pane & vino?

Controuerſia de præſentia reali corporis Chriſti in cœna Domini diu diſceptata eſt hac ratione, vt tantum eam vi verborum cœnæ aſſerere conarentur, ſicut & Papiſtæ docuerunt; quoniam verò animaduertebant hoc præſidium infirmum eſſe, quia de ſententia verborum quæſtio mouebatur, neque verba ipſorum ſenſum ſimpliciter præ ſe ferebant, & veritas finitæ & circumſcriptæ carnis in Chriſto ipſorum ſententiæ obſtabat, aliud fir-

mamentum causæ suæ excogitarunt & dixerunt, Corpus Christi vbiq; præsens esse, ideoque etiam adesse in pane cœnæ Dominicæ, Hac autem ratione non iam de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, sed in vniuersum de Christi seruatoris nostri, secundum carnem aut humanam naturam præsentia in his terris cœptum est disputari. Ac Lutherus quidem tantum ad præsentiam realem carnis & sanguinis Christi in cœna stabiliendam multis in locis Vbiquitatem hanc asseruit: alibi tamen verba Christi vult esse causam huius præsentiæ, & Christum inquit definitiue esse in cœna: nonnunquam verò eum modum præsentiæ probat quem Papistæ tenent, qui hanc Vbiquitatem nunquam agnouerunt. At Brentius & huius successores Vbiquitatem hanc studiose docuerũt, in quorum partes multi Lutheranorum concedere videntur, tuentur autem illam præcipue argumentis ab vnione personali duarum naturarum in Christo desumptis. De quibus antequam dicam duo prius breuiter notanda sunt, qualis Vbiquitas ab eis statuatur, & quæ sit huius vis in statuenda reali præsentia corporis Christi. Negant illi se statuere crassam & localem omnipræsentiam corporis, vt vel multa corpora tribuantur Christo, vel corpus statuatur

Vbiquitas cur excogitata.

Qualis vbiquitas statuatur à Brentianis.

qua-

quadam diffusione aut extensione vbiq; cum diuinitate cui coniunctum est pręsens esse, sed id corporaliter aut localiter nō nisi alicubi tantum esse, modo aūt maiestatis & dextræ Dei & personaliter vbique præsens esse. Atque ad modum nobis irascuntur qui ipsos tam crassæ opinionis assertores credamus. Sed ipsi certè in culpa sunt vt ita de illis judicemus: Brētius enim inquit, Corpus Christi posse, si non in omnib. locis simpliciter, certe in pluribus simul locis adesse. Item Christum humanitate sua etiam simpliciter in omnibus esse locis. Corpus item Christi in quantum est corpus assumptū omnia implere. An vero corpus simpliciter aut absolute alicubi est non localiter & corporaliter. Idem Mirandum est (inquit) quod tanto odio aduersus corpus Christi ferantur, vt non concedant ei ex personali vnione, hoc est ex miraculo omnia miracula superante, tantam, vt ita dicam, subtilitatem, vti omnia impleat, & interim tamen maneat verum & naturale corpus. Si non adest corporaliter, quare oportet corpori dari nouam quandam subtilitatem qua omnia impleat? In lib. Maiestatis accusat Zuinglianos, quod negent omnipotentia Dei fieri posse, vt verū corpus manens verum corpus, aut fiat spiritus, aut in omnia loca extendatur. Quorsum verò excogitarunt

Recognitione pag. 102

De personali unione pag. 11.

In sententia de lib. Bulling. pa. 28

Pag 70.

ſuam Vbiquitatem, nonne vt probarent realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in pane & vino cœnæ dominicæ? At Lutherus cuius auctoritatem iſti omnes ſequuntur, non docuit perſonalem aut maieſtatis præſentiam in cœna Domini, ſed contendit corpus Chriſti realiter, eſſentialiter, ſubſtátialiter, corporaliter, naturaliter præſens eſſe. Chriſtus inquit, vult in cœna corpus ſuum eſcam noſtrã corporaliter eſſe. Os manducat corpus Chriſti corporaliter. Noſtra corpora PHYSICE percipientia Euchariſtiam corporis Chriſti, etiam incorruptibilia & æterna erunt. Os & ſtomachum, inquit, manducare corpus Chriſti. Alibi (inquit) corpus Chriſti eadem quantitate forma & habitu in ſacraméto præſens eſſe, quo immolatum in cruce pependit. Quare ſi eorũ omnipręſentia non eſt realis & corporalis, ſed duntaxat perſonalis, fruſtra eam excogitarunt ad tuendam doctrinam Lutheri. Quod ſi dicunt Lutherum non tam craſſe ſenſiſſe, ſed feruore quodam certandi cõmotum vehemétioribus locutionibus vſum eſſe, cur non ipſi qui nouas loquendi formas excogitant explicant Lutheri ſententiam? cur ipſi qui tantum perſonaliter Chriſtum ſecundum humanitaté præſentem ſtatuunt non autem naturaliter, non aperte reijciunt realem & corporalem & naturalem

In libro de verbis. Hoc eſt corpus, &c.

Contra cœleſtes prophetas. Si nõ ſtatuũt corporalem præſentiam diſſentiunt à Luthero

turalem pręſentiam corporis Chriſti? &c. Cur damnant tot eccleſias, tot viros doctos qui negant corporalem præſentiam, perſonalem pręſentiam recte explicatam nunquam impugnarunt? Cur quod in ipſis eſt, obſtant ne pax & tranquillitas eccleſijs per Germaniam reſtituatur? Etenim craſſa illa corporali manducatione & præſentia repudiata, ſpes aliqua concordiæ in hoc tam triſti certamine affulgere poſſet, perſonalem enim præſentiam, modo ſane intelligatur, nunquam damnauimus. Interim ab hac loquendi formula vt inuſitata & obſcura, & ambigua conſulto abſtinemus, & libenter retinemus locutiones, conſuetas veteri eccleſiæ, quæ nuſquam perſonalem, ſed ſacramentalem præſentiam in cœna Domini ſtatuit. Sed non tam contentionum amantes ſumus vt de verbo etiam inuſitato litem mouere velimus, ſi de re ipſa inter nos conueniat. Interea verò dum illi naturalem & corporalem præſentiam ſua Vbiquitate ſtabilire conantur, non aliter iudicare poſſumus quàm hanc ipſam quoque corporalem eſſe: vtcunque obſcuris loquutionibus non è ſcriptura aut veteris eccleſiæ patribus, ſed è philoſophia deſumptis, ſuam ſententiam non tam explicare quàm inuoluere ſtudeant. Præſertim cum idem alij non ceſſant craſsius affir-

mare corpus Christi verum substantiale & naturale non tantum realiter & substantialiter, sed etiam naturaliter adesse affirmantes; imo Christum iuxta omnem præsentiæ modū totum in loco esse posse circumscriptiue, definitiue, repletiue.

An ex ubiquitate probetur realis præsentia carnis Christi in cœna.

Quod si maxime obtinuerint suam illam Vbiquitatem corporis Christi, tamen infirmum fundamentum iaciunt carnali reali & orali manducationi, cuius causa Vbiquitas hæc inuenta est. Etenim si corpus Christi nó minus sua essentia vbique præsens est quam ipsa diuinitas, non magis præsens dici poterit in pane cœnę Domini quam in quouis alio pane, neque aliter quouis tempore quam in ipsa cœna ore manducabitur: non differet sanctus ille cibus & potus in sacramento Eucharistiæ à quotidiano cibo & potu, vbi etiam cum pane & vino & quouis cibo & potu imo quacunque re corpus Christi huius Vbiquitatis ratione præsens erit. Itaque necesse est vt damnent Lutherum & alios qui docuerunt, verba cœnæ aut promisionem Christi causam esse præsentiæ Christi in cœna sua. Neque valet eorum commentum Omnipræsentia hac statui corpus Christi præsens, sed verbis cœnæ dispensari corpus Christi, & definiri & nobis præsens fieri: nam si antea statuitur realis præsen-

tia

tia, verbis cœnæ tribuunt tantum Relationem, & interim nos quando per relationem eadem explicamus damnant & Satanæ tradunt. Rursus tamen fatendum est nisi statuatur eam naturam esse corporis Christi vt possit pluribus in locis simul aut omnibus etiam præsens esse, nō posse constanter affirmari realem præsentiā eius in pane & vino cœnæ Dominicæ. Itaque fundamentum hoc eorum est quodamodo asystaton, hac quidem ratione qua hactenus realem corporis præsentiam in cœna & simul etiam eius Omnipræsentiam affirmarunt.

De hypostatica vnione Verbi cum assumpta humanitate.

Doctrina de vnione personali Dei verbi cum humana natura, fundamentum suum habet cum alia loca scripturæ quæ incarnationem Verbi docent, tum vel præcipue hæc D. Ioannis Euangelistæ verba: Verbum caro factum est & habitauit in nobis. Verbum autem non significare aliquid transitiuum ἀνυπόστατον, sed Verbum esse hypostaticum atq; consubstantiale æterno Patri; nulla est inter nos & aduersarios controuersia. Carnis etiam nomine vtrique intelligimus humanam natu-

Vnde sumpta doctrina de vnione hypostat.

ram integram, corpus & animam mente prædítam, ac pariter Apollinarij delirium reijcimus. Cum verò dicitur Verbum caro factum esse, non docemus transmutationem Verbi in carnem, sed faciendi verbum per assumendi vocem interpretamur, quia Apostolus scribit, Filium Dei assumpsisse formam serui, item assumpsisse semen Abrahæ. Ita autem assumpta est humana natura à Verbo, vt vna sit cum Verbo persona, & caro hæc sit propria Dei verbo caro, idque semper, vt nulla vnquam hic separatio fieri posiit, manente nihilominus Verbo in sua natura, & carne suam naturam seruante, vt ita duæ naturæ integræ & perfectæ, absque vlla mixtione aut confusione, mutatione, inseparabiliter in vna persona vnita sint, sicut Patres contra Nestorium naturas separantem & Eutychen easdem cõfundentem pie & erudite ex scripturis sanctis definierũt. Atque hæc quidem vtrique profitemur: quamuis enim aduersarij multa tradant non consentanea huic doctrinæ, tamen verbis saltem hæc profitentur, & vna nobiscum Nestorianam separationem & Eutychianam confusionem duarum naturarum damnant. De hoc controuersia est: Quid sit humanam naturam esse verbi propriam, & esse personaliter Verbo vnitam, quæ inquam sit ratio tantæ vnionis &

Qua de re hic sit controuersia.

hic

hic Homo dicatur Deus, & hoc homine naſcente & moriente dicatur Deus natus & paſſus, quamuis ſecundum carnem, quod de Petro, Paulo, & alio ſanctorum patiente dici nō poteſt, in quibus tamen Deus etiam inhabitat, & qui diuinæ naturæ participes dicuntur. Volunt igitur vnionis huius peculiaris & incompræhenſibilis rationem in illo poſitam eſſe, quod diuinitas in perſona filij omnes ſuas proprietates in humanam naturam effuderit, & eam ita aſſumpſerit, vt λόγος omnia faciat & operetur per hunc hominem aſſumptum. In qua explicatione, cum ipſi quoque fundamentum idem nobiſcum profiteantur; Verbum carnem factum eſſe, miror qui fiat vt contrario ordine ſibi incedendum putarint, nam Verbum carnem factum eſſe, idem eſt atque Deum hominem factum eſſe, Deum manifeſtatū eſſe in carne, Filium Dei formam aſſumpſiſſe ſerui: ac ipſi de eo ſolo diſſerunt, Quomodo Homo Deus ſit factus & transfuſione donorum effectus omnipotens, omniſcius, omniſapiens, omnipræſens. Cum autem alium ordinem explicandi ſeruet ſcriptura, & eundem Patres retinuerint, non video cauſam cur ab eo recedere debuerint, ſi de innouatione & immutatione veteris doctrinæ nolunt ſuſpecti eſſe. Nos ſcripturas ſecuti

dicemus, Deo adiuuente, Quomodo Verbum carnem assumpserit, & qua ratione sibi propria fecerit quæ carnis sunt, quomodo etiam quæ Verbi sunt carni facta sint propria: interim fatemur mysterium hoc ineffabile esse & longè humanæ mentis captum superare, quod Deus homo, & Verbum caro factum est, sed tamen liceat nobis reuerenter de his rebus balbutire, dum modo nusquam à scriptura & veteris ecclesiæ orthodoxa doctrina recedamus. Verbum igitur suam personam ante assumptam humanam naturam ab æterno habuit, sed humana natura (anima inquam illa cum corpore quod Verbum assumpsit) nunquam extra Verbum suam habuit subsistentiam, vt per se extra Verbum, hoc est antequam Verbum illam formaret simul & sibi vniret, vnquam fuerit aut dici potuerit homo, sed in persona Dei Verbi initium vt esset habuit: Verbum nanque humanam naturam assumendo formauit, & formando sibi assumpsit seu vniuit, atque ita ex duabus naturis vnus factus est Christus. Vnde Cassianus ait: Neque enim vnquam sine Deo fuerat homo ille, qui vtiq; hoc ipsum quod erat, esse à Deo cœperat. Omnes quidem homines à Deo habent vt sint, nam in ipso viuimus, sumus & mouemur, sed ita formamur singuli, vt vnius-

Humanitas suam subsistentiam in uerbo habet

cuiusque

cuiusque natura sua ipsius separatim sit, & quamuis Petrus non tantum formatus sit à Deo & diuina vi sustentetur, sed præterea etiam Deus habitat in ipso, non tamen propterea Deus pars est personæ Petri, aut Petrus in Deo ita subsistit, vt cum eo vnum quiddam et singulum sit, neque etiam Petrum definiendo Deum illa definitione comprehendimus. At humana natura à Verbo ita assumpta est, non vt hæc natura hominis ipsius separatim esset, sed vt Verbo vniretur, esset Verbi proprium indumentum & inæstimabile, vt ita quis dicat instrumentum, creata est vt Deus esset homo. Nam naturę humanæ est esse animal rationale, hoc habet in se humana natura à Christo assumpta: at vt sit persona, subsistentia inquam indiuidua & incommunicabilis, hoc nō in se habet, sed est in verbo fundata, ab eo assumpta sustentatur, vt iam sicut Athanasius scribit, Idem Deus & homo sit, Idē vtrumque simul, vt vnum quiddam & singulum & solum. Hanc personam Christum nominamus, Deum verbum incarnatum, non Verbum absque carne, multò minus hominem solum absque Verbo, sed vtrunq; Deum & hominem. Non alius Deus, alius homo, sed vnus idemque Deus homo, aliud tamen diuinitas, aliud humanitas, sed hæc tam arctè con

Rusticus Diaconus.

iuncta vt personæ vnitas semper maneat, vt demonstrato homine Iesu nato ex Maria virgine, non demonstrari possit humana natura sola, quæ non est per se indiuiduum subsistés, sed hypostasis in qua subsistit humana natura seu tota persona demonstretur quæ diuina humanaq; natura constat: rursus λόγος non potest demõstrari solus post assumptam carnem, vt non intelligamus & demonstremus etiam totam personam, quãdo humanitatem in suæ personæ vnitatem inseparabiliter suscepit: atque ita totus Deus homo, & totus Homo Deus dicitur à veteribus, & totus in Christo Deus, & totus in Deo Christus, vt Cassianus loquitur, ne diuisio aut separatio aliqua naturarum fiat, atque quod paris est blasphemiæ, aut homo penitus sine Deo, aut Deus sine homine credatur. Arctissimam hanc vnionem veteres similitudine animæ & corporis explicare conati sunt, quæ duæ naturæ in vnam personam in homine cõueniunt: meminit huius similitudinis Nazianzenus, & ante hunc Iustinus, qui tamen fatetur eã non per omnia huic mysterio cõuenire, sed aliquo modo seu secundum quid. Atque Patres tantum vsi sunt hoc exemplo ad demonstrandam vnitatem personæ, quod vnus sit Christus, vnus Dominus, sed id postea Eutychiani & Acephali detorserunt

Similitudo animæ & corporis.

runt

runt ad asserendã vnã in Christo naturam: ita que à posterioribus diligenter annotatũ est discrimen inter vnitionẽ Dei verbi cũ assumpta humanitate, & vnionẽ animæ cum corpore. Anima & corpus nõ tantum vnam personam faciunt, sed vnam quoque naturam, sed Verbum & Caro non faciunt vnam naturam, sed vnam Christum, vnam personam. Deinde anima non extitit ante carnem, & carnis seu corporis informandi causa facta est, anima est proprij corporis gubernatrix, & ad hoc etiam subsistit, & quamuis corpore exuta subsistat, rursus tamen corpori excitato iungetur, vt homo integer restituatur. At Verbum ab ęterno suam hypostasim integram perfectamque habuit, neque ad incarnandum & inhumanandum substitit, sed alteram habet subsistendi causam. Imò Deus Verbum est creator & formator eius naturæ quam assumpsit, neque illi aliquid perfectionis ex carne accesit, sed carnem ex gratia assumpsit. Anima & caro sunt duæ finitæ naturæ, at Verbum infinitum carnem finitæ naturæ assumpsit, & quamuis totum sit in humanitate assumpta, tamen non intra hanc concluditur vt anima intra corpus, sed simul etiam totum est vbiq;. Ob hanc naturarum infinitam distantiam, quæ tamen nihilominus in vnam conuenere personam, ma

ior dicitur esse vnitio Dei verbi & carnis assumptæ in vna persona, quam animæ & corporis quæ non tantum vnam personam, sed vnam quoque naturam faciunt. Anima compatitur corpori, Deus Verbum nequaquam. Anima nullatenus foris à corpore suo habet operationis principium, Deus autẽ Verbum & in humanitate existens, in cœlo & vbique cõsuetas operationes impleuit, licet quasdam & inæstimabiles & per corpus: atque alia est libertas Dei in carne & extra, & alia necessitas animæ, quę obligata in corpore, secundùm id habet eodem modo mouendi simplicis corporis potestatem. Sed quò melius tota ratio hypostaticæ vnionis perspiciatur, non pigebit hic adscribere Eliæ Cretensis, verba ex cõmentarijs eius in Nazianzenum. Vnitio (inquit) κατὰ σύνθεσιν siue per compositionem, quędam est partium coeuntium quasi mutua complexio, facta citra partis vtriusque interitum. Huiusmodi ea est, quam in coniunctione corporis & animi perspicimus, quam nonnulli σύγκρασιν vocant, hoc est, temperamentum, siue συμφυίαν, naturalem nimirum coalitionem. Atque per compositionẽ vnitio hypostatica est, qua ex corporibus vnitis hypostasis vna efficitur, in qua naturæ copulatæ non extinguuntur: sed vt earundem inter se discrimina & at-

Quid sit in genere unio hypostatica

tributa

tributa propria nulla ex parte confusa neque mutata conseruantur: sic etiam inter se ratione hypostasis postquam coaluerunt nequaquã discerni possunt. Nam partium vnitarum differentiæ characteristicæ, hoc est, de quibus singulæ tanquam notis quibusdam agnoscuntur, & quæ vnumquodque ab ijs, quæ sunt eiusdem speciei separant: propriæ vni hypostasi ambæ efficiuntur, sicut de animi & corporis vnione intelligitur, &c. Idem de vnione naturarum in Christo sic scribit. Cæterum personalis vnio est essentialis & quidem per se (ἀυθύπαρκτος) duarum naturarum in vtero sanctæ genetricis Dei concursus. Nec enim corpus ante Deum sermonem ibi extitit, nec anima: sed simul caro, simul Deus sermo, simul caro animata rationis particeps. Quippe in ipso Deo sermone personam peculiarem constituente (ὑποστάντος) extitit. Quid igitur assumpto potuit accidere maius, quàm vt Deus fiat per vltranaturalem illam vnionem? Hoc autem modo Patres vsos esse similitudine animæ & corporis, vt ostenderent conuentum hunc ineffabilem Verbi cum carne vnam solum constituisse personam, seu ita à Verbo carnem in vnitatem suæ personæ assumptam esse, vt Verbum & caro sint vna persona, vnus Filius, ex ipsis Patrum scriptis manifestum est. Nazian-

Quomodo Patres usi sint similitudine animæ & corporis.

Ad Cledonium.

„ zenus, Si quis (inquit) duos filios, alterum ex
„ Deo & Patre, alterũ ex matre, non autem v-
„ num atque eundem induxerit, is ab ea quoq;
„ filiorum adoptione excidat, quæ recte creden
„ tibus promissa est. Quanquam enim Deus &
„ Homo duæ naturę sunt, quemadmodum & a-
„ nima & corpus, non tamen duo Filij nec Dij:
„ sicut ne hic quidem duo homines, tametsi Pau
„ lus ad hunc modum internam externamq; ho
„ minis partem appellauerit. Atque vt paucis
„ rem complectar, aliud quidem & aliud sunt ea,
„ ex quibus Seruator constat, non tamen alius
„ atque alius, absit. Ambo enim hæc copulatio-
„ ne vnum sunt, Deo nimirum humanitatem,
„ atq; homine diuinitatem suscipiente, aut quo-
„ cunque tandem alio verbo quispiam eam rem
exprimendam duxerit. Cyrillus: Filius coæ-
ternus Patri, qui natus est & ante omne secu-
„ lum, postquam descendit in hominis natu-
„ ram, non amisit esse quod erat, nempe Deus,
„ accepta humanitate intelligitur merito & ex
„ semine Dauid natus esse, & recentem in huma
„ nitate habere natiuitatem. Porro quod assum-
„ ptum non alienum ab assumente, sed vere e-
„ ius proprium reputatum est, igitur quasi v-
„ num cum ipso, quemadmodum scilicet & ho-
„ minis compositionẽ quis considerauerit. Nam
„ ex dissimilibus, natura animæ dico & corpo-
ris,

Ad Theod. de recta fide.

ris,composita est, attamen vnus homo intel-
ligitur,qui ex vtroque. Ita ab vna quidem car-
ne interdum totum animal nominatur, inter-
dum autem & anima nominata, intelligitur
vtrunque. Simili sane modo & de ipso Chri-
sto accipiemus. Nam si vnus Dominus & v-
nus filius Iesus Christus, & ante carnem, &
quando apparuit homo, eum qui nos rede-
mit Dominum non negabimus, quamuis si-
gnificetur interdū nobis per humanitatis pro
prietates, & humilitatis mensuram. Idem alibi
sic scribit, Coniectare dicimus quod deceat
cogitare (quamuis minor sit oratio veritate)
talem esse adunationem Emanuel, qualē quis
intelligat & animam ad suū corpus habere. A-
nima enim omnia quæ sunt corporis reputat
esse sua, licet per naturā propriā expers sit pas-
sionibus corporis, & quæ extrinsecus partici-
pant, &c. Subijciens autem quomodo Deus
impassibilis carnis infirmitates contundebat,
eas tamen sui corporis esse ducebat, addit: Si-
cut corpus est alterius naturę præter animam,
vnus tamen ex vtroque homo efficitur & vo-
catur: ita etiā ex perfecta Dei Verbi subsisten-
tia & humanitate perfecta, vnus est Christus.
Idem in eodem Deus simul homo: & sua qui-
dem dicit Deus Verbum, ea quæ sunt carnis
propria: quia ipsius est corpus & non alterius.

De incarnatione unigeniti.

Communes autem facit tanquam cum sua carne diuinæ suæ maiestatis operationes, vt posset etiam viuificare mortuos & seruare infirmos. Idem quomodo Verbum caro factum sit, hoc modo exponit, Verbum inquit factum, esse carnem, nihil est aliud, quam quod in carne ac sanguine nobiscum similiter communicauit, ac nostrum corpus sibi proprium fecit, & homo prodijt ex muliere, interim non abiecto quod Deus est & ex Patre genitum, sed, etiam in ipsa carnis assumptione, quod erat retento. Hoc nusquam non contendit exactæ fidei doctrina. Hac fuisse sententia sanctos Patres inueniemus. De eodem mysterio sic scribit, Athanasius citante Maxentio. Verbum caro, non caro Verbum factum est. Verbum autem caro factum dicitur, quia Verbi facta est caro, & nō alicuius hominis, hoc est, Deus homo factus est: & dicitur caro, ne prætereatis carnis nomen. Cur ergo non sufficit nobis naturalis vnitio Verbi ad propriam carnem: & quia Deus homo factus est? Item, Cyrillus apud eundem Maxentium, Non enim dicimus quod Dei natura conuersa aut immutata, facta sit caro, vel quod in totum hominem, qui est ex anima & corpore transformata sit: sed illud magis quod carnem animatam & animã rationalem sibi copulauerit Verbum, & Filius Dei

Epist. 8. 11.

Dei ſubſtantialiter, ineffabiliter, incompre- "
henſibiliter factus ſit homo, & nuncupatus ſit "
Filius hominis. Nec nuda tantum voluntate, "
nec aſſumptione perſonæ, ſed quod diuerſæ "
quidam naturæ in vnum conuenerint, vnus "
tamen ex vtraq; Chriſtus & Filius: non eua- "
cuata aut ſublata naturarum diuerſitate pro- "
pter vnionem. "

Poſſem plura teſtimonia adducere, ſed ex his facilè perſpici poteſt quomodo vetus eccleſia de vnione hypoſtatica docuerit, pleraque etiam ex his quæ attulimus, Aduerſarij noſtri concedunt, ſed contendũt non eſſe plenam definitionem hanc vnionis hypoſtaticæ, qua dicimus vnionem hypoſtaticam in Chriſto eſſe copulationem ſeu vnitionem Dei Verbi cum carne, in qua Verbum carnem aſſumpſit & ita ſibi propriam fecit, vt ſaluis vtriuſque naturæ proprietatibus Verbum & caro vnam perſonam vnum quid & ſingulum conſtituant.

Quid ſit unio hypoſtatica.

Primum enim quod dicitur vtranquam naturam ſuam proprietatem ſaluam retinere, id quia ita confirmatum eſt ſcripturis, & veteris eccleſiæ conſenſu, negare quidem non audent aperte, ſed tamen per cuniculos oppugnant: nam multa quæ maxime propria ſunt volunt accidentarias eſſe proprietates. Deinde Mar-

bachius, ſcribit extra vnionem perſonalem naturam vtranque ſuas proprietates ſeruare, neque quicquam alteri communicare, aut capacem eſſe proprietatum alterius naturæ: at naturas in vnam perſoná vnitas, retinere quidem ſubſtantiam ſuam, ſed proprietates realiter ſibi mutuo communicare. Vbi omnino ſtatuere videtur proprietates non manere integras facta vnione: atq; vtut ipſe cum alijs hoc fateatur, tamen omnes contendunt vnionem perſonalem ἐνεργείᾳ & cõmunicatiõne proprietatum definiendam eſſe: at niſi vnio hæc reali effuſione omnium proprietatum diuinæ naturæ in humanam definiatur, clamant Chriſtum in ordinem ſanctorum redigi, & deitate, potentia, gloria & maieſtate omni ſpoliari, & tãtum nomen nudũ illi relinqui. An autem hę ſint veræ & ſpecificæ differentiæ vnionis perſonalis quibus ipſi eam definiunt mox videbimus, nunc de reali communicatione quam tantopere vrgent aliquid dicamus. Hoc tamen prius omnes admonitos volumus vt bene expendant quæ à nobis allata ſunt, nam tum facile animaduertent nulli creaturæ hanc definitionem noſtram conuenire, ſed ſoli huic vnioni Filij Dei cum aſſumpta ſua carne. Etſi enim Deus in ſanctis ſuis inhabitat, eos ſuſtentat, & donis ornat, ita vt etiam ſuo modo diuinæ na-

Differt vnio à præſentia Dei in ſanctis.

næ naturæ consortes facti dicantur, & ea quæ sanctis fiunt sibi fieri dicit, tamen illa inhabitatio aut conuentus Dei cum hominibus, toto genere differt ab hac copulatione aut vnione personali: nam exempli gratia Paulus etsi Christum in se habitantem & viuentem habet, tamen non est vnum quiddam cum Christo aut Verbo, sed alius est Christus, alius est Paulus: neque Deus ita sustentat Paulum, vt cum eo vnum quoddam & singulum sit, neq; ita facta est humana natura Pauli, vt simul Verbo vniretur, sed ipsa in semetipsa suam habet subsistentiam, & ita creata est vt separatim sua ipsius esset: aliam autem esse rationem humanitatis illius quam Verbum assumpsit, supra ostendimus. Ac mirum mihi videtur Aduersarios tribuere humanæ naturæ Christi quod varijs modis & nobis incognitis præsens realiter esse posit, at ipsam Dei naturá ita astringere vt vno tantum modo ὀυσίᾳ sua creaturis adesse posit, & vt non alia sit Dei in Christo quám in creaturis reliquis omnibus pręsentia quæ tantum ἐνεργείᾳ differat: vbi hic est Dei omnipotentia? num illam circumscribere finibus aliquibus volunt? Nos constanter affirmamus præsentiam Dei in assumpta humanitate genere ipso differre à pręsentia Dei qua vel omnibus rebus creatis vel peculiari etiam

gratia sanctis suis adest & in illis habitat. Hanc autem cū Paulo ita exponimus, quod in Christo sit omnis plenitudo Dei σωματικῶς, vt sit vnum quasi σῶμα, vnum quiddam singulum & solum seu vna hypostasis: Dicimus cum Ioanne Verbum carnem factum esse: non autem inquit Verbum suas proprietates in carnem transfudisse, sed Verbum factum carnem, ita assumpsisse in vnitatem suæ subsistentiæ humanam naturam & carnem induisse ac sibi fecisse propriam, vt Verbum natum dicatur in carne & sit homo factum. Hanc vnionem Verbi infiniti & æterni, cum humana finita natura, ratione comprehendi aut verbis effari non posse, & omnium mysteriorum maximum & prorsus ἄρρητον esse, libenter agnoscimus & profitemur, ac satius esset nos potius hæc mysteria venerari & adorare quam perscrutari: sed quod de his disserimus cogit nos Aduersariorum importunitas, qui hæc in quæstionem primi vocarunt, & repudiatis plerisque formis loquendi quibus ecclesia olim in explicatione horum mysteriorum vsa est, nouam doctrinam protulerunt, cui si quis non per omnia assentiatur, mox non tantum omnium hæreseon infamia aspergitur, sed prorsus Mahumetanus esse dicitur, & ad Turcas relegatur. Cogimur itaque ostendere nos & cum veteri

Cur de mysterio hoc ineffabili scribamus.

ecclesia

ecclesia sentire & loqui, & eam vnionem docē, rē qua nullæ creaturæ alij sed tantum huic naturæ assumptæ Verbum vnitum sit, & Deus homo, ac homo Deus factus.

De communicatione proprietatum.

Quoniam verò Aduersarij in communicatione ceu transfusione proprietatum diuinæ naturæ in humanam, vnionem hanc consistere volunt, de illa plura adhuc dicenda erunt. Cum autem proprietates essentiales ab ipsa natura separari non posint, non est alia constituenda cōmunicatio proprietatum ab ipsa naturarum communicationē.

Porro naturæ ipsæ non sunt ἀκοινώνητοι, neq; singulæ separatim post vnionem factam subsistunt, ideo recte communicari dicuntur, nō quod vna natura transfundatur in alteram, ita enim non manerent ambæ integræ, sed quod vniantur & vnius personæ sunt. Simili modo proprietates naturarum vnius personæ sunt, seu personæ cōmunicantur. Sicut etiam Theodoretus scribit, propria naturarum fiunt communia personæ. Atq; hæc est vera & realis cōmunicatio naturarum in persona. Exempli gratia, est Dei Verbi proprium esse æternum, infinitum, omnipotentem, esse Deum: humanæ naturæ proprium est, corporeum & cir Communicatio in persona.

cumſcriptum, & temporalem ſeu in tempore originem habere: hæc non ſeparatim tribuuntur naturis, ſicuti nec actiones, ne ſoluatur perſonæ vnitas, ſed prædicätur de perſona in qua naturæ ambæ ſubſiſtunt, & ſic Chriſtus Deus & homo, viſibilis & inuiſibilis, æternus & in tempore initium habens, corporeus & incorporeus, finitus & infinitus dicitur. Hæc enim quamuis contraria tamen vere & reipſa huic perſonæ conueniunt, non tamen eiuſdem naturæ ratione. Nam vt Fulgentius ſcribit, vnus idemque Chriſtus eſt, qui quod humanum eſt, habet Deus, in veritate humanæ, & quod diuinum eſt habet homo, in veritate diuinæ naturæ. Et Auguſtinus ſimilitudine animæ & carnis idem explicat, in quibus quod ſingulis eſt proprium commune fit amborum: proprium naturæ, commune perſonæ. Quare ſicut ad vitandam ſeparationem & exprimendam vim veræ vnionis hæc de perſona tota prædicantur, & quidem vere, ita ne confuſio aut transfuſio facta credatur, eccleſia addidit exemplo ſacrarum literarum particulam diſtinguentem iuxta quam naturam tale idioma aut actio perſonæ tribuatur, vt Chriſtus eſt æternus ſecundum diuinam naturam, & idem in tempore eſſe cœpit, ſecundum humanam naturam: conſubſtantialis eſt nobis ſecundum carnem, & conſubſtantialis eſt Patri ſecun-

Diſtinctio ſecundum naturam.

dum diuinam naturam: genitus eſt ex ſemine Dauid, ſed ſecundum carnem. Illa enim perſona Chriſtus, quæ diuina & humana natura conſtat, & vere æterna eſt, ſed tantum ratione τοῦ λόγου, & vere etiam in tempore initium accepit, non quod λόγος in tempore initium acceperit, ſed ratione carnis aſſumptæ, quæ ante non extitit, & carne aſſumpta Verbum factum eſt caro Deus incarnatus ſeu manifeſtatus in carne. Itaque cum Chriſtus in Euangelio loquitur de ſeipſo, aliquando quidẽ vt homo loquitur, humana de ſe prædicans, vt cũ ſe filiũ hominis nominat: & cur me quæritis interficere hominem qui veritatem locutus ſum vobis? & cum de cruce & paſsione ſua loquitur, &c. Aliquando autem de ſe ea dicit quæ diuina ſunt, vt quum ſe Patri æqualem facit, & ante Abraham fuiſſe dicit: omnia autem hæc ad perſonam vnam pertinent, ad hunc qui hæc dixit, ad Ieſum Chriſtum, ſed alia quidem ſecundum diuinam naturam, alia ſecundum humanam: omnia tamen vere & reipſa vnius Chriſti ſunt. Hanc diſtinctionẽ proprietatum in vnitate perſonę ſecundum differentiam naturarum diligenter docet Cyrillus, neceſſarium ſcribens vt licet diuerſa & minime inter ſe conuenientia acta eſſe dicantur, vt hæc ſecundum aliud & aliud in vno Chriſto

De incarn. unigeniti 26. cap.

accipiamus,&de vno eodemq; constituamus; nulla diuisione admissa. Hæc arctissima copulatio assumptæ carnis cum assumente verbo, & ineffabilis illa vnio duarum naturarũ in vna persona, fundamentum est Communionis idiomatum. Dicitur autem communicatio idiomatum prædicatio, in qua proprietas vni naturæ conueniens ad alteram transfertur, in concreto propter vnionem hypostaticã. Hanc Cassianus explicat per Synechdochen, quo tropo & à parte totum intelligitur, & à toto portio. Et Gelasius, In hoc mysterio inquit, " cum nulla necessitas impugnationis emergit, " simpliciter vnam rem pro vtraque frequenter " proferimus. Item, Vsitato compendio sæpe de " qualibet rei parte dicimus, & totum quod est " sine dubio profitemur. Nunquid cum verbum " Dei dicitur, nõ simul intelligitur & caro quod " factum est? &c. Primum itaque quia ita in vtero virginis vnitus est Deus carni, vt vnum sit ὑφιςάμενον, non potest vna in illo natura nominari quin simul intelligatur altera, quicquid enim de Christo dicitur, de tota persona dicitur, & in filio Dei filius hominis, & in hominis filio Dei filius nuncupatur. Sic Ioannes Christum virum nominat, & eundem ait post se venire, & ante se fuisse. Hic Christus vir nominatur, & quod humanæ naturæ est toti persona

Quid sit cõmunicatio Idiomatũ.

Synechdoche.

sona

sonæ tribuitur: atque hæc est Synechdoche: eidem viro tribuitur ante Ioannem fuisse, & post eum venire, quod vtrunque cum partis sit, hoc quidem humanæ, illud verò diuinæ naturæ, tamen vtrunque de tota persona per Synechdochen prædicatur. Atque in hunc sensum has loquendi formas Cassianus explicat per Synechdochen, hoc ipso exemplo vsus. Atque vti apparet geminata Synechdoche statuitur, vna qua vnius naturæ nomen concretum pro tota persona ponitur, altera qua toti personę in concreto tribuitur, quod vnius tantum naturę est. Atque idem est quando dicitur naturæ vni tribui in concreto, quod est naturæ alterius; nam vt Cassianus docet, nomen vnius naturæ per Synechdochen pro tota persona ponitur: itaque quod de illa in concreto prædicatur, non de ipsa natura, sed de persona prædicatur. Boetius quoque hanc naturarum vnionem, & quæ ex eo oritur prædicationum rationem, his verbis explicat. Fides
" Catholica continet eundem Christum homi-
" nem esse perfectum eundem Deum, eundem-
" que qui homo sit perfectus atq; Deus. Vnum
" esse Deum ac Dei filium, nec quaternitatem
" Trinitatis astrui, dum Homo additur supra
" perfectum Deum, sed vnam eandemque per-
" sonam numerum Trinitatis explere. Vt cum

humanitas passa sit, Deus tamen passus esse dicatur. Non quod ipsa diuinitas humanitas facta sit: sed quod à Deitate fuerit assumpta. Item, Qui homo est Dei filius appellatur, non substantia diuinitatis sed humanitatis, quæ tamé diuinitati naturali vnitate coniuncta est. Et cum hæc ita intelligentia discernantur permisceanturque, tamen vnus idemque & homo perfectus sit & Deus, Deus quidem quod ipse sit ex Patris substantia genitus, homo verò quia ipse ex Maria virgine sit procreatus. Itemque, Qui homo Deus eo quod à Deo fuerit assumptus: & qui Deus homo, quoniam vestitus homine sit: Cumque in eadem persona aliud sit diuinitas quę suscepit, aliud humanitas quæ suscepit, idem tamen Deus atque homo est. Nam si hominem intelligas, idem homo est atq; Deus: quoniam homo ex natura, Deus assumptione. Si vero Deū intelligas, idem Deus est atque homo, quoniam Deus est natura, homo assumptione: fitque in eo gemina natura geminaque substantia, quoniam homo Deus: vnaque persona, quoniam idem homo atque Deus. Multa huiusmodi de proprietatum communicatione, apud Cyrillum, Theodoretum, Vigilium, atque Fulgentium aliosque scriptores occurrunt. Verum inter nos & aduersarios de hoc controuersia est, quod harum prædicatio-

cationum fundamentum nos quidem facimus vnitionem hypoſtaticam hac ratione, quod naturæ proprietates ſuas in ſe ſeruent, ſed quia vera eſt vnitio naturarum propter communionem naturarum & proprietatum in perſona, hæc quæ vnius naturæ ſunt de altera prædicari. Contra aduerſarij etiam ipſi harum prędicationum fundamentum faciũt vnitionem hypoſtaticam, ſed hoc modo, quod naturæ ita vnitæ ſint, vt vna ſuam proprietatem tranſfundat reipſa in alteram, vt ita fiat realis & phyſica quædam transfuſio & cõmunicatio Idiomatum.

Atque quod proprietates humanæ naturæ ſpectat, alij quidem nullam hic realem cõmunicationem agnoſcunt, quod diuinitas ab humanitate nihil accipiat: ſed Marpachius ſcribit humanitatem diuinitati ſuas proprietates, actiones, & officia vere & realiter communicare: atque hanc realem communionem aliquot pagellis in ſuo craſſo volumine explicare & confirmare conatur. In qua eius explicatione hoc ab eo quæro, quo exemplo ſcribat, humanam naturam communicare ſuas proprietates diuinæ naturę, & eam in ſuorum operũ ſocietatem admittere & ſuſcipere? Cyrillus & alij veterum nunquã tribuunt humanitati quod illa communicet ſua, aut in com-

An humanæ naturæ proprietates realiter communicentur Deitati. Marpachij abſurda ſententia.

munionem & societatem suorũ operum susci piat diuinitatem: sed dicunt Verbum ea quæ sunt carnis suæ sibi propria facere. Dicat etiã nobis cur opera & officia Mesiæ quæ vndecim ab ipso enumerátur, proprietates seu propria opera faciat humanæ naturę, quæ illa cõmunicet diuinitati? Sunt auté hæc opera seu officia quæ commemorat. 1. Esse seruum legis & eam implere: 2. Hominibus prædicare verbum regni Dei. 3. Seipsum offerrę in cruce pro peccatorum expiatione & reconciliatione humani generis. 4. Parta victoria aduersus mortem, Satanam & inferos, in cœlum ascendere, sedere ad dexteram Dei, esse suorũ fidelium mediatorem & intercessorem apud Deum Patrem. 5. Mittere Spiritum sanctum. 6. Conseruare ministeriũ Verbi & fideles ministros excitare. 7. Exaudire preces eorum qui ipsum inuocant. 8. Ecclesiá aduersus Satanam & alios hostes defendere. 9. Extremo die ad iudicandũ venire. 10. Resuscitare mortuos. 11. Vnicuique retribuere iuxta sua opera. Si hæc sunt officia totius personæ, cur ea facit humanæ naturæ propria? An verò hoc ferendum est quod humanæ naturæ propria officia facit missionem Spiritus sancti, conseruationem ministerij, exauditionem precum, defensionem ecclesiæ, iudicium totius orbis, resusci-

resuscitationem mortuorum, & quidē ita propria, vt hæc communicet diuinæ naturæ, & illam quasi in possesionem horum admittat. Iam quod dicit hæc ab humana natura vt à promisso Mesia facta esse, non tamen esse tantum opera filij hominis, sed communia etiam Filio Dei, hoc est, toti personæ quæ est Deus & homo, ita vt non minus vere hæc de filio Dei quam de Filio hominis dici posint: valde ambiguum est, ne quid grauius dicā. Nam primùm videtur humanam tantum naturam Mesiam facere, deinde ita loquitur de filio hominis, quasi alius sit Dei, alius hominis filius, qui tamen sint societate vnus filius & vna persona. Cum autem exponit causas cur humana natura suas proprietates & opera sua communicet diuinitati has affert. Primùm quia humana natura in se non subsistat, sed in persona Verbi, quod Verbum vere & essentialiter est Dei filius, itaque quæ humanæ naturæ accidunt, verè prædicari etiam Filio Dei accidisse, quoniam humana natura ne momēto quidem separatur à persona quæ est Filius Dei. Deinde quia diuinitas quæ per se & substantia sua impassibilis est, in morte & passione humanam naturam sustentat, & efficacem reddit ad superandum mortem & Satanā: attamen vt caro pati & mori posset Verbum in-

xta Irenæum quieuit, nō exeruit ſuam potentiam in repellenda morte & paſſione. Verum hinc non conficitur communicatio in natura: Nam exempli gratia naſci, crucifigi, mori, proprie ad humanam naturam pertinent, hæc autem prædicantur etiam de diuina natura in cōcreto, non quod hæc ad ipſam naturam Deitatis pertingant, tum enim etiam in abſtracto de Deitate dici poſſent, ſed quod hæc vere pertingant ad perſonam quę non tantum humanam naturam habet ſed Deus eſt. Neque ſequitur, humanitas ſuſtentatur à Deitate, ergo operationes & propria ſua realiter Deitati communicat: non enim ex humanitate & Deitate fit vna natura, ſed vna perſona, itaque tantū hinc conficitur hæc perſonæ propria eſſe, hactenus enim hæc ad alteram naturam pertinent quatenus vnum ſunt inuicem, ſunt autem vnum non natura ſed perſona. Eſt autem hic obiter conſiderandum, Abſtracti & concreti nomen non recte à quibuſdam vſurpari. Marpachius interpretatur abſtractum idem eſſe atq; extra perſonalem vnionem per ſe ſubſiſtere: ſed veteres & recentiores vſitate per abſtractum intelligunt naturam in vnione hypoſtatica per ſe conſideratam, vel cogitatione ſeiunctam, vt proprietas ipſi conueniens recte applicetur. Nam ſic etiam Dialectici ipſam formam cogi-

De abſtracto & concreto.
Pag. 170.

tatione

tatione ſeparatam & per ſe conſideratam, abſtractum appellãt, vt ſunt humanitas, iuſtitia, ſanitas, &c. Deinde ſicut illi ſubiectum in quo forma hæret, vt homo, iuſtus, ſanus, concretũ vocant: ita concretũ in theologorũ ſcholis nominatur, non ipſa vnio naturarum, ſed vocabulum quod perſonam τὸ ὑφιστάμενον notat, cuiuſcũque tandem naturæ ratione id fiat, vt Deus, homo, filius Dei, filius hominis: tali enim nomine perſona comprehenditur, quæ vtranq; naturam habet. Itaque quod illi dicunt Filium Dei verè natum, mortuum & paſſum eſſe, libenter damus, illa enim perſona quæ eſt filius Dei paſſa eſt, ſed nõ in diuinitate, verũ carne, vt D. Pet. loquitur. Patientibus ſanctis dicitur etiam Chriſtus pati, qui Saulo inquit, Quid me perſequeris? & populus reijciens prophetas Dei, dicitur Deum ipſum ſpreuiſſe: ſed hęc tantùm per relationem ad Deum pertinent, quòd hi ſunt legati Dei, membra eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus: at longe alia ratio eſt Filij Dei patientis: ille enim qui in cruce pependit vere fuit Filius Dei, neque potuit demonſtrari homo nudus in cruce pendens, aut eam homini nudo attribuere poſſumus, niſi perſonam Chriſti ſoluere velimus, non tamen propterea paſſio ad naturam diuinitatis pertingit. Sed vt corpore moriente anima nõ mo

Quomodo Deus paſſus & mortuus ſit.

ritur, ita multo minus mors aut passio ad naturam diuinitatis in Christo pertingit: ac anima quidem compatitur suo corpori, non autem diuinitas humanitati assumptæ. Quòd si passiones assumptæ naturæ cõmunicarentur realiter diuinæ naturæ, assumptione humanitatis fuisset immutata natura diuina, in quam tamen nulla mutatio cadit. Neque ideo nomine tantum Deus natus, passus & mortuus est, nisi forte (quod absit) Christus nomine tantũ Deus & Filius Dei est. Ita autem semper ecclesia sensit & docuit de morte & passione Filij
" Dei. Cyrillus citante Leone, Is qui ante secula
" omnia natus est ex Patre, etiam ex muliere car-
" naliter dicitur procreatus in tẽpore. Non quia
" diuina ipsius natura de sacra virgine sumpsit
" exordium, nec quod propter seipsum opus ha-
" buit secundo nasci post illam natiuitatem quã
" habebat ex Patre (est enim ineptum & stultũ
" hoc dicere, quod is qui ante secula omnia est
" consempiternus Patri, secundæ generationis
" eguerit vt esse inciperet) sed quia propter nos,
" & propter nostram salutem naturam sibi co-
" pulauit humanam, & processit ex muliere, id-
" circo dicitur natus esse carnaliter. Neq; enim
" prius natus est homo communis de sancta vir-
" gine, & tunc demum habitauit in eo Verbum,
" sed in vulua vteroque virginali secum carnem

coniun-

coniunxit, & ſuſtinuit generationem carnalem, carnis ſuæ natiuitatem ſuam faciens. Sic illum dicimus & paſſum eſſe & reſurrexiſſe, non quia Deus Verbum in ſua natura paſſus ſit, aut plagas aut clauorum transfixiones, aut alia vulnera (Deus nanque incorporalis extra paſſionem eſt) ſed quia corpus illud quod ipſius proprium factum eſt, paſſum eſt, ideo hæc omnia pro nobis ipſe dicitur paſſus. Inerat námque in eo corpore quod patiebatur Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipſius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile eſt naturaliter, & vita & viuificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipſius propriũ, gratia Dei pro omnibus iuxta Pauli vocem mortem guſtauit, idcirco ipſe dicitur mortem paſſus eſſe pro nobis. Non quòd ipſe mortem eſſet expertus, quátum ad ipſius naturá pertinet (inſania enim eſt hoc vel ſẽtire vel dicere) quod (vt ſupra diximus) vera caro ipſius mortem guſtauit. Ita & reſurgente carne, ipſius rurſus reſurrectionem dicimus: non quia in corruptionem ceciderit (quod abſit) ſed quia eius reſurrexit corpus. Ita Chriſtum vnum & Dominũ confitemur, non tanquam hominẽ cum Verbo coadorantes, ne diuiſionis quædam ſpecies inducatur, ſed vnum iam & eundem adorantes, quia non alienum eſt à Verbo corpus

suum, cum quo ipsi etiam assidet Patri. Nec hoc ita dicimus, quasi duobus filijs assidentibus, sed vno cum carne per vnitatem: quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi impossibilem, aut quasi parum decoram, noluerimus accipere, in id incidimus, vt duos filios esse dicamus. Necesse est enim discernere, & dicere hominem separatim fuisse sola filij appellatione honoratum, & rursum Verbum quod est ex Deo, & nomine & veritate Filium Dei: sed discernere in duos filios non debemus vnum Dominũ Iesum Christũ. Neq; enim id adiuuat rectam fidei rationem, licet nonnulli, nescio quam perhibeant copulationem personarum. Non enim dixit scriptura Verbum Dei personam hominis sibi assumpsisse, sed carnem factum esse. Id autem est ostendere Dei Verbũ, similiter ac nos participatum habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse, & hominem ex muliere processisse, non abiecta nec deposita Deitate, aut generatione illa quam habebat, sed mansisse etiã in assumptione carnis Deum quod erat. Hoc vbique rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos Patres fuisse comperimus. Ideo non dubitarunt sanctam Virginem dicere Theotocon, non quòd Verbi natura, Deitasq; in sancta Virgine sum-

pserit

pserit exordium, sed quod ex ea natum sit sa- "
crum illud corpus animatum anima rationa- "
li, cui substantialiter adunatum Dei Verbum carnaliter natum esse dicitur. Cum autem diligentissimè de vnione Verbi cum assumpta carne Cyrillus disseruerit, nusquam tamẽ meminit vllius transfusionis aut communicationis, qua in Diuinam naturam translatę aut illi communicatę sunt proprietates vel actiones humanæ naturæ. Verùm ait Deum natum, quia in vtero virginis humanam naturam sibi copulauit, & ita carnis suæ natiuitatem suam fecit, item Deum passum, quia inerat in eo corpore quod patiebatur Deus, & corpus quod passum est, ipsius proprium factum est: Deus Verbũ mortuus est, quia vera ipsius caro gustauit mortem: Deus resurrexit quia eius corpus resurrexit. Hæc omnia triburtur Dei filio, quia Verbũ cum carne vnus est Dei filius, copulatione facta per substantiam, quod vna est substantia seu hypostasis Verbi & carnis: sicuti autẽ Cyrillus hoc loco explicat quo modo Deo humanæ passiones & infirmitates tribuátur, ita alibi passim in suis libris hoc idẽ vrget, nec vsquã realis cõmunicationis qua vnius naturæ proprietates reipsa transfundátur in alterã meminit. Alijquoq; Patres quorũ scripta extant cum Cyrillo consentiunt. Deũ aiũt passum, quòd humanitas quæ passa est à Dei-

tate assumpta fuit: dici passum & mortuum secundum vnionem, sed in sola carne, quia caro & Deus vnus est Christus. Cum humanũ pateretur corpus, hæc eadem Verbum quod corpori cõiunctum erat ad se retulisse, & sibi vendicasse tanquam sua ipsius quæ propria erant corporis, eaque aliquo modo sustinuisse, eo quòd cùm prohibere posset non prohibuit. Eundem fuisse patientem & non patientem: patientem quidem quatenus ipsius propriũ corpus, in quo erat, patiebatur: nõ patientem, quatenus ex natura Deus impatibilis erat, ipseque incorporeus in corpore patibili existebat, corpusque vicissim Filium Dei impatibilem retinebat, absumentem corporeas infirmitates. Ita Dominus maiestatis crucifixus est, quia Dominus maiestatis filius hominis & homo est: & filius hominis Deus est maiestatis, & homo Deus est. Christus passus est carne non Deitate, cum tamen ipsa Deitas totum suum faciat, quicquid caro perpessa est, ac sub vna persona merito vnus ac idem dicitur pati, quicquid vt Deus homo patitur, non infirmitate & conditione passibili, sed dignatione suam faciens passionis iniuriam, adunatione particeps, sed sine passibilitate compatiens, sicut vnus idemq; virtutes operatur, quicquid vt homo Deus operatur. Summa est: Diuinitas per

tas per se, in se, secundum suam naturam nec patitur nec moritur, sed tamen Deus passus & mortuus est, quia persona quæ passa & mortua fuit, non vt homo tãtum, sed vt homo & Deus passa fuit, licet secundum alteram naturam tãtum passa fuerit, cum altera vere & in se pati ac mori non potuerit. In hunc modum nos quoque in nostris ecclesijs docemus: itaque nobis iniuriam faciunt, qui aiunt nos negare Deum pro nobis passum, sed tantum cum Nestorio dici passum: quasi relatione, tantum Deus passus dicatur Christo patiente, sicut pati dicitur in Paulo aut Petro. Longe enim aliud est affirmare Diuinam naturam non esse passam in se, quod nos dicimus, aliud negare Deũ passum. Videant autẽ ipsi quomodo ostendere possint humanas passiones realiter communicatas diuinæ naturæ, vere in ipsam redundasse: neque enim scripturæ neque Patres sic loquuntur. — *Non cum Nestorio sentimus.*

Alterum genus communicationis ἰδιωμάτων quo diuina humanitati attribuuntur nunc cõsiderandum est. Tenenda autem est vsitata distinctio qua proprietates aliæ dicuntur esse incommunicabiles, aliæ communicabiles: vel vt alij distinguunt, ea de quorum communicatione quæritur, vel sunt infinita & essentialia in Deo vt omnes proprietates diuinæ naturæ, vel sunt dona Dei finita & creata. Atq; de hoc po- — *Communicatio diuinarum proprietatum.*

ſteriori genere & proprietatibus communica bilibus non eſt controuerſia, omnes enim fa. tentur, humanam naturam à Verbo aſſumptã vere & realiter & in ſe ineffabilibus donis or. natatam eſſe, quibus numero & gradu omnes creaturas quantumuis excellentes ſuperet. Veluti quod concepta eſt ex Spiritu ſancto, nata ex Virgine, quod abſque peccato fuit, quod omnibus donis Spiritus ſancti ornata fuit, quod denique finito tempore Exinanitionis donata eſt immortalitate, ineffabili luce, ſapientia, virtute, potentia & ſupra omnes creaturas glorificata eſt. Solent quidẽ Aduerſarij nobis obijcere, quod faciamus Chriſtum hominem impotentem, & quidem longe abſurdiori vocabulo apud Germanos *ein onmächtigen menschen*, vt ita apud vulgus in odium & inuidiam nos adducant: ſed hæ ſunt meræ calumniæ quas refutant omnia noſtra ſcripta, ſi modo illis locus aliquis daretur. Porro præter hæc dona creata & finita in ſe, etſi forte nobis quodãmodo infinita videri poſſint, in quibus eſt quædam communio capitis & membrorum ita vt genere cõueniant, quamuis gradu & numero ita ſuperet humana Chriſti natura omnes ſanctos vt ferè ſit nulla comparatio, alia præterea ſunt & maiora quæ humanæ naturę Chriſti per vnionem perſonalem collata ſunt.

Quæ nã data ſint Chriſto per vnionẽ perſonalem.

Nam

Nam primum æternum Dei verbum hanc naturam in vnitatem personæ suæ assumpsit, neque tantum per assistentiam quandam aut gratiam, aut relationem, aut affectum quendam sese huic societate quadam iunxit, sed eam ineffabili vnione ità sibi vniuit, vt Verbum & caro sint vnum & singulum & solum quid, & vt Ioannes inquit, Verbum caro factum est. Tanta dignitas nulli creaturæ alij cõtigit, non angelos assumpsit, sed semen Abrahæ: & quamuis in sanctis suis Deus semper inhabitarit, nullus tamen sanctorum fuit Emanuel: solus Christus est Emanuel, Deus nobiscum, ipse enim vnus & idem Verbum & Caro, Deus homo. Hanc carnem suam Deus Verbum ita assumpsit vt cum illa & per illam redemptionem humani generis perficeret, hanc secum euexit in cœlos, & ad dexterá patris, vt noster summus põtifex & rex vna cum assumpta carne consedit, & cum eadem à nobis adoratur. Omnes deniq; diuinę naturæ proprietates humanæ naturæ in concreto attribuũtur, hic enim homo qui conceptus est ex Spiritu sancto & natus ex Maria virgine, est Deus, est omnipotens, omnisapiens, omnipræsens. Verum inter aduersarios nostros & nos de eo cõtrouertitur, an proprietates illæ diuinæ essentiales, transfusæ sint in humanam naturam, vt in ea

An facta sit realis transfusio Idiõ.

quaſi in ſubiecto inſint, vt ita facta ſit per communicationem proprietatum exæquatio duarum naturarum. Huiuſmodi realem & phyſicam communionem negamus, quod hac poſita fiat confuſio naturarum: ſed de his eſſentialibus proprietatibus noſtri hactenus docuerunt, eas non aliter communicari quàm ipſam eſſentiam, & Chriſtum ſecundum humanam naturam non aliter eſſe omnipotentem, omnipræſentem, omniſapientem quàm quo modo Deus eſt. Eſt enim hoc axioma certum & vſitatum veteri eccleſiæ, ex naturarum vnione, ipſam quoq; idiomatum communicationem æſtimandam eſſe. Cum enim omnipotentia, omnipræſentia, omniſapientia, &c. ſint ipſa Dei eſſentia, non aliter hæc data ſunt humanæ naturæ quàm ipſa eſſentia ſeu diuinitas. Diuinitas autem humanę naturæ data eſt, per vnionem perſonalem, non per transfuſionem in eſſentiam humanam, neque enim ex illa facticius Deus aliquis creatus eſt, ſed per aſſumptionem perſonalem ita illi communicata eſt diuinitas vt nihilominus, omnes ſuas proprietates eſſentiales ſaluas & illæſas retineat. Simili ratione diuinæ proprietates eſſentiales & infinitæ communicatæ ſunt humanæ naturæ, non tamen ita vt in ipſa tanquam in ſubiecto quodam inhæreant, ſed vt illi propter perſonalem

Eadem eſt cõmunic. propietatũ & naturæ.

nalem

nalem vnionem adſint, quo modo nulli alij creaturæ inſunt. Sicut autem humanitas Chriſti neque Deus eſt, neque diuinitas, ſed homo Chriſtus eſt Deus, & Deus iſte eſt homo: ita etiam homo Chriſtus eſt omnipotens, omnipræſens, quomodo Deus eſt, humanitas ipſa non eſt reuera & ſecundum eſſentiā omnipræſens & omnipotens, non enim ipſa eſt Deus aut diuinitas, ſed aſſumpta à diuinitate in perſonæ vnitatem. Hac autem doctrina non derogatur maieſtati Chriſti ſeruatoris noſtri, vt aduerſarij clamant, ſed potius vera eius maieſtas & diuinitas aſſeritur. Quando enim quæritur de diuinitate Ieſu Chriſti, ſeu quomodo homo natus ex Maria virgine ſit Deus, reſpondetur eum vere & natura Deum eſſe, quoniam Chriſtus, homo ille, ſiue illa perſona conſtat tota Deitate inhabitante, & perfecta natura humana inhabitata atque ita verus & natura Deus eſt, idque reſpectu Deitatis inhabitantis. Si tribuatur humanæ naturæ diuinitas in ſe per effuſionem proprietatum, vt hac ratione homo Chriſtus ſit Deus, ſequeretur eum tantum diuinum aut deificatū hominem eſſe, non vere & natura Deum.

Deinde veteres quotieſcunque de communicatione proprietatum loquuntur, nō ponūt aliam realem qua diuina in humanā naturam

Similis cō-munic. Idiom. in utraq; natura.

transfundantur, aliam verbalem tantum qua humana tribuantur Deo, sed ostendunt similiter fieri proprietatũ communicationẽ in vtraque natura. D. Augustinus, Ille qui erat filius Dei, factus est filius hominis in vnitate personæ, Vt anima & caro vnus est homo, ita Verbum & homo vnus est Christus. Carni enim ita vnitur anima, vt vna sit cũ carne persona. Vnde salua naturæ vtriusque proprietate, adijcitur seu attribuitur carni quod est animæ, & vicissim animæ quod est carnis, pro vnitate personæ, non pro diuersitate naturæ. Item in vnitate personę Christi, ex diuina & humana natura, quælibet earum vocabulum etiam alteri impertit, & diuina humanæ & humana diuinæ. Leporius apud Cassianũ scribit, Ex tempore susceptæ carnis sic omnia quæ Dei erant transisse in hominẽ, vt omnia quæ erant hominis in Deum venirent: vt sic ipse Deus Verbũ, totũ suscipiẽs quod est hominis homo sit: & adsumptus homo totum accipiendo quod Deus est, aliud quam Deus esse non possit. Gelasius. Sicut enim legitur Dominus maiestatis Christus, sic vtique legitur etiam Filius hominis. Itaque & Dominus maiestatis Filius hominis est, & homo est & Filius hominis, Deus est maiestatis, & homo Deus est: & quicquid Deitatis est, habet Filius hominis: et

De Trin. et Vnit. Dei cap 22.

Cõtra Maximi. lib. 3 cap. 20.

Lib. 1. cap. 5.

quic-

quicquid humanitatis est habet Dominus "
maiestatis. Item: Deitas totum suum facit quic "
quid caro perpessa est: sicut & Filius hominis "
suum habet totũ, quicquid est Dei. Fulgẽtius. "
In vnitate personæ hominis Dei inconfusa ve Lib. 3. ad Trasim.
ritate, sicut Christus Deus in homine nomen
hominis accepit, sic idem homo Christus in "
Deo, vocabulum Deitatis accepit. Sic & alij "
Patres de communicatione in vtraque natura "
loquuntur, & communicationem qua naturæ "
sibi suas proprietates communicent damnãt. "
Vnde Vigilius: Impium inquit & sacrilegum "
est ea quæ sunt propria carnis Christi ad natu "
ræ Verbi proprietatem referre, & quę sunt pro "
pria Verbi, proprietati naturæ carnis adscribe "
re. Et Damascenus. Diuinitatem igitur dicen- "
tes, non de illo nominamus ea quæ humanita "
tis sunt propria. Non enim dicimus Deitatem "
aut passibilem aut creatã, neq; de carne, id est "
humanitate, prædicamus ea quę Deitatis sunt "
propria: nam neq; dicimus carnẽ, id est huma- "
nitatem increatã. At vero de hypostasi siue ex "
vtraq; siue ex vna naturarũ eã nominamus, v- "
triusque naturarũ propria illi adijcimus. Nam "
Christus hoc quidẽ est quod vtrunq; simul, & "
Deus & homo dicitur, & creatus & increatus, "
& passibilis & impassibilis. Similiter scholastici Bonauent. lib. 3. dist. 8. & 14.
Cõmunicatio (inquiũt) Idiom. fit in persona,

non in natura, quia naturæ ipſæ idiomata ſua non communicant, nec abſtracta naturarum de ſe inuicem prædicantur.

Humana natura ſeruat ſuas proprietates.

Præterea ſcripturæ teſtantur humanam naturam ſuas proprietates ſeruaſſe in Chriſto: nam ante glorificationem, ſalua nihilominus vnione perſonali, vere prædita fuit infirmitatibus noſtris naturalibus: & quãuis illas poſt glorificationem exuerit, ſeruauit tamen eſſentiales humanæ naturæ proprietates. Sed ſi proprietates diuinæ in humanitatem realiter & phyſice transfuſæ fuiſſent, tum oporteret humanas proprietates ſublatas fuiſſe & abolitas: vel ſequeretur de vno & eodem ſubiecto contradicentia ſimul vere poſſe affirmari: veluti humanam Chriſti naturam, circumſcriptã & incircumſcriptam, corpoream & incorpoream, viſibilem & inuiſibilem, æternam & temporariam, finitam & infinitam, &c. ſimul & ſemel eſſe: nam horum alterum conueniret humanæ naturæ eſſentiali proprietate, alterum proprietate diuinitatis realiter communicata. Quam autem abſurdum ſit talia affirmare vident omnes, neque Deus ſua omnipotentia efficit talia, vt alibi dictum eſt.

Eſſentiales proprietates incom-

Poſtremo talis transfuſio realis proprietatum eſſentialium diuinæ naturæ infinitæ, in finitam & creatam naturam fieri non poteſt,

ſcriptura

ſcriptura teſtante, Ego Deus & gloriam meã alteri non dabo. Proprietates namque nihil aliud ſunt quàm eſſentia, cum diuina natura ſit ſimpliciſsima, hæc ſi realiter effunditur in aliquam creaturam, oportet vt illa quoq; talis fiat qualis eſt natura, cuius proprietates tranſfuſæ ſunt, ſed nulla natura poteſt fieri diuinitati æqualis, alioqui diuinitas non eſſet diuinitas, nam ea non eſt vera diuinitas cui res aliqua creata exæquari poteſt; Deus eſt ſummũ maximum, huic ſi quid exæquetur, non erit ſummum maximum, & non erit Deus, duo enim infinita eſſe non poſſunt. Quod autem dicitur exæquationem fieri non οὐσίᾳ ſed ἐξουσίᾳ, nõ eſſentia ſed potentia, non ſubſtantia ſed maieſtate, id nihil eſt, cum potentia Dei ſit ipſiſsima & ſimpliciſsima Dei eſſentia: & miror quoſdam Schuenckfeldium reprehẽdere, qui potentiam Dei in rebus omnibus eſſe affirmet, eſſentiam vero extra res collocet: cum illi pari modo potentiam & maieſtatem ac gloriam transfundi dicant, & in his exæquari humanam naturam diuinæ, non autem eſſentia. Nam quod addunt diuinam naturam hæc ex ſe habere & humanæ communicare, alteram verò accipere & ex dono habere, efficit quidẽ reſpectu principij aliquam differentiam, non autem reſpectu rei ipſius quę formaliter vtro-

municabiles creaturæ.

bique vna & eadem ſtatuitur. Adhęc ſi eædem ſunt proprietates, & tantum communicatio facit inæqualitatem eſſentiæ, Arianorum ſententia probanda erit, qui dicebant Chriſtum minorem Patre & diſsimilem, quia illi eſſet communicata diuinitas: cum contra orthodoxi contenderent cõmunicationem non efficere aliam eſſentiam, cum eadem integra & ab æterno, Chriſto communicata ſit. Exiſtimant quidam phyſicam & realem transfuſionem diuinarum proprietatum in humanam Chriſti naturam, confirmari verbis ſcripturæ, quibus dicitur, Illi data omnis poteſtas: item Chriſtum eſſe in forma Dei: in Chriſto omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos eſſe: in ipſo inhabitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter: donatum illi nomen quod eſt ſupra omne nomen, vt ad nomen Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium & ſubterraneorum, &c. Requirerent autem præclara hæc ſcripturæ loca iuſtam explicationem, ſed ea eſt alterius operæ. Nos reſpondemus primum, aduerſarios male detorquere ad transfuſionem donorum aut proprietatum quæ de vera diuinitate Verbi Apoſtolus ſcripſit, nam per formam Dei vetuſtas ſemper intellexit naturam diuinam, ſicut per formam ſerui naturam humanam: vera enim æqua-

Loca quæ de Deitate loquuntur non detorquenda ad realem cõmunic.

qualitas Filij cum Patre qua non arbitratus est rapinam se æqualem esse Deo, est æqualitas naturæ, quod est ὁμοούσιος, transfusio donorum non exęquat naturam humanam finitam & creatam suo creatori. Sic plenitudo Deitatis corporaliter habitans in Christo, est ipse λόγος, non communicata Deitas alia quam qua λόγος Deus est: communicata enim Deitas non est θεότης seu πλήρωμα τῆς θεότητος, sed πλήρωμα θειότητος, plenitudo diuinarum rerum, sapientiæ, potentiæ, bonitatis, donorum Spiritus sancti. At Apostolus maius aliquid tribuit Christo, quod θεότης ipsa Deitas seu diuina essentia, & quidem omnis plenitudo Deitatis, tota Deitas, vt nihil sit Deitatis in Patre quod non sit in Filio, ac proinde per omnia æqualis sit Patri filius, inhabitet σωματικῶς, non tantum per effecta, sed vt ex Deitate & humanitate coniunctis, vnus constet Christus, vnum σῶμα substantia seu hypostasis. Hanc interpretationem Patrum testimonijs confirmare nõ est necesse, nemo enim ignorat veteres & recentiores, qui diuinitatẽ æternam filij Dei contra hæreticos defenderunt, his testimonijs vsos esse. Ac dolendũ est horum locorũ sensum nunc in dubiũ vocari, & eos qui volunt soli maiestatis Christi assertores videri, apertissima testimonia Deitatis Christi, ad cõmunicatã quandã deitatẽ & carni

propriam cum nouis Antitrinitarijs & Samo-ſatenianis detorquere.

Diuina dantur humanitati, per unionem.

Secundo in eo aberrant aduerſarij, quod omnia quę Chriſto data dicuntur, interpretantur humanæ naturæ realiter communicata, vt illa hæc in ſe habeat & quaſi ſubiectum ſit earum rerum quæ Chriſto data ſunt. Diuina quidem natura nullius indiget, ideoq; proprie nihil accipit, non tamen inde conficitur hęc quę perſonæ Chriſti ſecundum humanam naturam data ſunt, transfuſa eſſe in humanam naturam. Auguſtinus inquit, Quicquid conuenit Filio Dei per naturam, conuenit Filio hominis per gratiam: hoc autem Scholaſtici de vnionis gratia interpretantur, in qua humanitas Chriſti in Verbi perſonam aſſumpta in eo ſubſiſtit. Vnde eodem modo quo homini datū eſt, vt ſit Deus Verbum, in ipſa videlicet perſona Verbi, in qua geritur & ſuſtentatur, ita etiam omnia quæ ſunt Filij Dei, vt omnis poteſtas & plenitudo ſcientiæ & ſapientiæ, &c. data ſunt homini, per gratiam hanc vnionis, per quam quæcunque dicuntur de Filio Dei ſecundum diuinam naturam, dicuntur etiam de Filio hominis propter perſonæ vnitatē. Patres etiam ſicut exinanitionem Chriſti interpretantur aſſumptionem carnis, qua paupertas carnis Verbi propria facta eſt ſicut ipſa caro, ita

ro, ita etiam exaltationem qua omnia Chriſto data dicuntur, interpretantur per diſpenſationem, qua humanitas vnum cum Deo Verbo facta eſt. Itaque Cyrillus in Ioannem de hac re ſic ſcribit: Vnum eſt Filius cum Patre, identitate eſſentiæ, quamuis in propria ſubſiſtentia ſit. Verum quoniam propter noſtram ſalutem à ſua dignitate & claritate quaſi exiuit (hoc enim ſignificat exinaniuit ſeipſum) ideo accepit rurſus cum carne claritatem & gloriam, quam ſemper habuit vt Deus. Quoniam ergo templum quod à Virgine accepit, quamuis conſubſtantiale Deo Patri non ſit, vnitum tamen ita cum verbo eſt, vt vna perſona cum eo ſit: (vnus enim Chriſtus & vnus Filius eſt etiam homo factus.) Idcirco vnitatem cum Deo accepiſſe dicitur, quod templum ſuum, quod à ſe Deus non eſt, vnum cum Deo Verbo factum ſit. Et vt breuius dicam & clarius quod templo ſuo datum eſt, ſibi datum eſſe vnigenitus ait, datũ videlicet à Patre per ipſum in ſpiritu. Non enim aliam viam habet modus vnitatis cum Deo. Intelligitur enim in Chriſto, vnitate ineffabili caro ſanctificata abſque vlla confuſione ad vnitatem Verbi aſcendere, & per Verbum ad vnitatem Patris habitudine ſcilicet quadam non naturaliter. Dantur ergo humanæ naturæ omnia quatenus v-

nitatem cum Deo accepit, quia caro vna persona est cum Verbo, hac vnitate sanctificata est, absque tamen confusione Verbi & carnis. Si sanctificationis dona transfunderētur physice in carnem, fieret confusio, ideo vnitate seu vnione personali hæc humanitati data asserit. Damnatur etiam sæpe à Cyrillo hæc adunationis ratio, qua dicitur homo adaptatus sibi à Deo cōmunicatione dignitatis, gloriæ, honoris ac filiationis, vt hac ratione homo Deus & Christus & filius & Dominus dicatur.

Etsi autem transfusionem realem & physicam negamus, non tamen Christum hominem proprietatibus diuinis spoliamus, sicut etiam hominem Christum vere & natura Deū agnoscimus, quamuis humanitas eius in se non sit Deus aut diuinitas. Si realis communio assereretur in cōcreto, quod homini Christo, hoc est, huic personæ omnia data sint, ita vt hic homo, hæc persona sit vere & ab æterno & essentia Deus, omnipotēs & omniscius, atque omnipræsens, nemo contradiceret. Sed ipsi hominem pro humana natura, concretum pro abstracto accipiunt, & hominem Christū ideo faciunt Deum & omnipotentem, quod assumptæ humanitati realiter cōmunicata sit, & in eam transfusa Deitatis plenitudo, vt illa hac cōmunicata maiestate, non tantum vnione

nē sit

ne sit Deus. Videntur autem non male in illos conuenire quæ Athanasius scribit contra quosdam qui sua ætate ita asserebant diuinitatem hominis Christi, vt etiam contenderent carnem esse consubstantialem diuinitati. Si ea, " inquit, quæ ex natura diuinitas fuit, diuinitas " efficitur, cur igitur incusaris Arianos, qui i- " stiusmodi opinionem de Verbo in mediū ad- " ferunt? quum tamen scriptura in contrarium " dicat Verbum carnem factum esse, non car- " nem Verbum: ideoque dictum est, Verbum " carnem esse factum, quoniam caro Verbi caro " facta est, & non hominis aliuius: hoc est Deus " homo factus est, & caro dicitur factus esse, ne " omitteretis carnis vocabulum. Quod si igitur " contenti non estis ista Verbi cum carne vnio- " ne: atque eo ipso quod Deus homo factus est, " certe neque audire, neque credere constitui- " stis, quum vobis satis fieri nequeat tam mo- " desta religiosaque super omnem commenta- " tionem dicendi ratione, dum corpus Dei au- " ditis esse, idque secundum eum qui dicit: Qui " transfigurabit corpus nostræ humilitatis, vt " sit conforme corpori gloriæ ipsius. Qua in " re argumentum futuræ resurrectionis osten- " ditur: quod etiam tum appellatur corpus, cum " iam corpus est gloriæ eius, &c. "

Differentiæ ſpecificæ vnionis perſonalis quas Brentius proponit, rem non vere explicant.

Vbiquitas an efficiat unionem hypoſt.

Expoſita hactenus orthodoxa doctrina de vnione naturarum & communione proprietatum, dicam nunc de illis ſpecificis differentijs vnionis hypoſtaticæ quas Brentius adfert, & oſtendam quæ abſurda, abſurda inquam fidei & ſcripturis repugnantia inde conſequantur. In libro de Maieſtate vnionem perſonalem Vbiquitate definit. Verum idem alibi Vbiquitatem tribuit Sanctis ex ſententia Hironymi male intellecta. Parſimonius quoque Brentij diſcipulus, Concionis ſuæ arg. 6. Eſſe in cœlis, ſignificare inquit, vbiq; adeſſe & implere omnia. Sanctos autem in cœlis eſſe nemo dubitat, quare etiam vbique aderunt & omnia implebunt. Itaq; ſi Vbiquitas conſtituit perſonalem vnionem, Chriſtus hac re nihil à ſanctis differet, neque magis Deus dici poterit quam Petrus aut Paulus, ſed in ordine ſanctorum manebit, quando ſancti illi hac ratione à Brentio æquantur. Neque poteſt dicere ſanctos per alium, Chriſtum per ſe vbique eſſe, quia ait tam Chriſtum quam ſanctos diuina virtute intime præſente agere & vbique adeſſe. Porro quod Andreas Brentium ſuum ita

Pag. 24. De perſonali unione, pag. 11.

explicat,

explicat, non tantum ab eo præſentiam ſtatui, ſed eam præſentiam vt per humanam naturam & cum ea λόγος faciat omnia, non ſatis eſt vt ſit vnionis hypoſtaticæ vera differentia, nã Deus Pater omnia facit per λόγον & tamen non eſt vna vtriuſq; perſona.

Aliam deinde differentiam vnionis hypoſtaticæ proponit effuſionem maieſtatis diuinæ in humanam naturam, ſiue communicationem omnium proprietatum. Diſcrimen inquit Chriſti & Petri non eſt ſumendum ſimpliciter ab inhabitatione filij Dei, ſed à communicatione proprietatum eius. Filius enim Dei etſi ſua eſſentia implet Petrum, ſicut & hominem Chriſtum, non tamen communicat Petro omnes ſuas proprietates, ſed tantũ non nullas. Filium vero hominis aſſumptum ex Maria virgine, ornat non aliquibus tantum, ſed vniuerſis ſuis donis, & communicat ipſi omnes ſuas proprietates. Item alibi inquit, hominem Chriſtum Deum dici non quia Deus in ipſo, ſed quia in aſſumptione carnis dedit huic homini omnem poteſtatem in cœlo & in terra, communicauit ei omnia dona Spiritus ſancti. Hominem Chriſtum propter immenſitatem & infinitatem donorum inquit Deo factum æqualem, &c. In hac autem eius ſententia hoc primũ reprehendimus quod Chri-

Effuſio donorum an ſit diff. unionis.

Recogn. pag. 44.

Chriſtus à Brẽtio redigitur in ordinem ſanctorũ.

ſtus redigatur in ordinem ſanctorum, ſi nam-que vnio poſita eſt in communione donorũ, ſancti etiá ſuo modo Deus erunt, quibus mul-ta & ampla dona à Deo conferuntur. Neque eſt hoc ſufficiens diſcrimẽ quod ſancti dimen-ſa dona acceperint, Chriſtus immenſa, nam ita nihilominus genere non differrent, ſed tan-tum ſecundum magis & minus, at illa inhabi-tatio Dei in ſanctis & in homine aſſumpto ge-nere toto differt. Conatur quidem Iacobus Andreæ ſuam ſententiam probare his verbis D. Auguſtini. Deus qui vbique eſt non in om-nibus habitat: etiam in quibus habitat, non æ-qualiter habitat. Et vnde in omnibus ſanctis ſunt alij alijs ſanctiores, niſi abundantius ha-bendo habitantem Deum? Sed aliter homo il-le in Deo, quoniá & aliter Deus ille in homi-ne. Hæc ille adducit, ſed quæ his coniuncta ſunt, & ſententiam abſoluunt omiſit, manife-ſta fraude vſus. Integra Auguſtini ſententia ſic habet: Aliter homo ille in Deo, quoniam & aliter Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrumque eſt vnus Ieſus, vbi-que per id quod Deus eſt, in cœlo per id quod homo. Atque in eadem epiſtola hoc diſcrimen habitationis his verbis Auguſtinus explicat. Quid ergo eſt? Hoccine intereſſe arbitramur

In Apologia Theſium, &c. Epiſt. 57.

Deus aliter in homine aſſumpto quam in ſanctis.

inter

inter caput & membra cætera, quòd in quolibet quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno propheta aut Apostolo, quamuis diuinitas habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis. Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, vbi prorsus omnis est quinque partitus. Ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus. In cæteris autem solus est tactus. An etiam præter hoc quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis, est aliud quod intersit inter illud caput & cuiuslibet membri excellentiam? Est plane, quod singulari quadam susceptione hominis illius vna facta est persona cum verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, Verbum caro factum est. Nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ, vnigeniti nomen accepit, vt quod est ipsum Dei Verbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est ergo illa susceptio, nec cũ hominibus aliquibus sanctis quantalibet sapientia & sanctitate præstantibus, vllo modo potest esse cõmunis, vbi diuinæ gratiæ satis clarum perspicuumq; documentum est. His verbis si D. Augustinus dicit, quod Iacobus Andreæ asserit, hoc vnum

esse ratione inhabitationis discrimen, quòd Deus sanctis distribuat sua dona dimẽsa, Christo homini sine mensura, hoc est, immensa: quòd sanctis dederit singulis suam potestatẽ, Christo homini autem omnem potestatem: si inquam hoc Augustinus dicit, vicerit sane Andreas: sin quod manifestum est, hoc ipsum negat, nónne impostor est qui truncato Augustini testimonio nobis fucũ facere, & plane contrariam Augustino sententiam ex ipso probare conatus sit?

Vnio per eff. donorũ non est personalis.

Alterũ etiam in hac personalis vnionis definitione viri docti dudum reprehenderunt, quod hæc vnio non sit vere personalis, hac enim ratione humanam naturam non personæ τοῦ λόγου sed toti Trinitati vnitam esse, propterea quod communicatio donorum commune opus sit totius Trinitatis. Respondet Andreas eandem quidem esse vt essentiam ita etiam potentiam Patris & Filij, aliam tamen esse ratione proprietatum personarum, quia alia est genita, alia ingenita: cum homine autem non esse personaliter vnitam potentiam & sapientiã ingenitam, quæ est Pater, sed sapientiam & potentiam Filij quæ est genita, non minus tamẽ infinita quam Patris aut Spiritus sancti. Verũ hac ratione elabi non potest, nam definiens vnionem personalem per communicationem dono-

donorum, nullam donorum distinctionem fecit, iuxta personarum proprietates, imò nominatim mentionem fecit donorū Spiritus sancti, vnde apparet eum de essentiali & non personali vnione loqui. Deinde posuit eandem genere inhabitationem & communionem donorum in Christo & sanctis, dicens hoc vnum discrimen esse quod homini assumpto immensa dona data sint, sanctis dimensa. At de sanctis dicere non potest, illis hæc cōmunicata tantū per Filium, nisi velit statuere personalem operationem in Trinitate, & ita non tantum personas sed etiam naturas diuidere.

Confusio naturarū. Vuigādus de communic. Idiom.

Tertio, transfusio illa realis proprietatum diuinæ naturæ in humanam naturā, non tantum noua est scripturæ & veteri ecclesiæ incognita, quæ nunquam ita loquuta est, sed reuera nihil aliud est quàm naturarum confusio. Proprietas enim (vt aduersarij definiunt) est, quod naturam à natura secernit: item proprietas naturæ seu essentialis est id, quod ipsam naturam constituit, & sine quo natura cuius est proprietas constare non potest. Quod si proprietates diuinæ naturæ omnes realiter transfunduntur in humanam naturā, quomodo discernuntur naturæ? quomodo autem salua manet differentia naturarum, si proprietates quibus inter se discernuntur, ab vna natu-

esse ratione inhabitationis discrimen, quòd Deus sanctis distribuat sua dona dimẽsa, Christo homini sine mensura, hoc est, immensa: quòd sanctis dederit singulis suam potestatẽ, Christo homini autem omnem potestatem: si inquam hoc Augustinus dicit, vicerit sane Andreas: sin quod manifestum est, hoc ipsum negat, nónne impostor est qui truncato Augustini testimonio nobis fucũ facere, & plane contrariam Augustino sententiam ex ipso probare conatus sit?

Vnio per eff. donorũ non est personalis.

Alterũ etiam in hac personalis vnionis definitione viri docti dudum reprehenderunt, quod hæc vnio non sit vere personalis, hac enim ratione humanam naturam non personæ τοῦ λόγου sed tóti Trinitati vnitam esse, propterea quod communicatio donorum commune opus sit totius Trinitatis. Respondet Andreas eandem quidem esse vt essentiam ita etiam potentiam Patris & Filij, aliam tamen esse ratione proprietatum personarum, quia alia est genita, alia ingenita: cum homine autem non esse personaliter vnitam potentiam & sapientiam ingenitam, quæ est Pater, sed sapientiam & potentiam Filij quæ est genita, non minus tamen infinita quam Patris aut Spiritus sancti. Verùm hac ratione elabi non potest, nam definiens vnionem personalem per communicationem

dono-

donorum, nullam donorum distinctionem fecit, iuxta personarum proprietates, imò nominatim mentionem fecit donorũ Spiritus sancti, vnde apparet eum de essentiali & non personali vnione loqui. Deinde posuit eandem genere inhabitationem & communionem donorum in Christo & sanctis, dicens hoc vnum discrimen esse quod homini assumpto immensa dona data sint, sanctis dimensa. At de sanctis dicere non potest, illis hæc cõmunicata tantũ per Filium, nisi velit statuere personalem operationem in Trinitate, & ita non tantum personas sed etiam naturas diuidere.

Confusio naturarũ. Vuigãdus de commu nic. Idiom.

Tertio, transfusio illa realis proprietatum diuinæ naturæ in humanam naturã, non tantum noua est scripturæ & veteri ecclesiæ incognita, quæ nunquam ita loquuta est, sed re vera nihil aliud est quàm naturarum confusio. Proprietas enim (vt aduersarij definiunt) est, quod naturam à natura secernit: item proprietas naturę seu essentialis est id, quod ipsam naturam constituit, & sine quo natura cuius est proprietas constare non potest. Quod si proprietates diuinæ naturæ omnes realiter transfunduntur in humanam naturã, quomodo discernuntur naturæ? quomodo autem salua manet differentia naturarum, si proprietates quibus inter se discernuntur, ab vna natu-

ra realiter transfunduntur in aliam? Damascenus, Diuinitatem igitur dicentes, non de illa nominamus ea quæ humanitatis sunt: non enim dicimus Deitatem pasibilem aut creatam. Neq; de carne, id est, humanitate prædicamus ea quæ Deitatis sunt propria: nam neque dicimus carnem, id est, humanitatem increatam. At vero de hypostasi, siue ex vtraq;, siue ex vna naturarum eam nominamus, vtriusque naturarum propria illi adijcimus. Sed si propria diuinæ naturæ in humanam transfunderentur, liceret etiam ea de humanitate dicere. Hieronymus quoque, Illorum inquit, similiter execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quę erant Deitatis in hominem demigrasse, & rursum quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa, vt quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione vtraq; exinanita substantia, Deitatis scilicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata. Iacobus Andreæ cum dudum illi duo hæc testimonia opposita fuissent, Damasceni dictum tanquam nihil ad se pertinens silentio præterit: Hieronymi sententiam se recipere inquit, se enim non asserere eo modo ea quæ Deitatis sunt ita demigrasse in hominem vt confusio substantiarum sit facta, se

Lib. 3. cap. 4.

In symb. expla. ad Damas.

Apologia ad Theses Ingolst. pag. 3.

enim

enim docere, permanentibus naturis & substantijs humanitatem summa maiestate ornatam esse qua ad dexteram Dei sedet. At Hieronymus non tantum naturarum confusionem damnat, sed ipsam transfusionem proprietatum vnius naturæ in alteram, quod scilicet hanc sequatur confusio qua naturæ abolentur. Neque hic peculiaris modi meminit Hieronymus, vt dicat ea, quæ Deitatis non ITA demigrasse, vt hac confusione vtraque substantia sit cõmutata, sed hoc ITA de suo apposuit Andreas, quasi innueret Hieronymus, posse alio modo demigrare in humanitatem omnia quę Deitatis sunt, vt tamen nulla sequatur confusio. Cæterum Lucas Osiander distinguit inter naturalem & realem communicationem idiomatum, & accusat Vuitebergenses, qui realem & physicam Idiomatum communicationem sophistice coniungant. Vult autem physicam cõmunionem esse quando diuina natura humanæ ita suas proprietates communicat, vel humana natura (etiamsi à diuina separari posset) in se habeat huiusmodi proprietates, quasi naturales suas proprietates, amissis prioribus suis proprietatibus. Talem communicationem improbat: sed aliam ait realem communicationem esse, qua diuina natura humanitati Christi proprietates

ſuas communicat, ſic vt diuinitas omnipotentiam ſuam & omnia diuina opera operetur per aſſumptam humanitatem. Sed Brentius communicationem talem ſtatuit, vt Deus in hominem, aut Filius Dei effuderit in filium hominis omnem ſuam maieſtatem, omnipotentiam, omniſcientiam, omniſapientiam, omniiuſtitiam, omnipræſentiam, & omnifœlicitatem, humanam enim naturam huius infinitæ maieſtatis Dei capacem eſſe, & hac capacitate perfici & ornari. Hanc communicationem plenitudinem Deitatis nominat, & diſtinguit hanc Deitatis plenitudinem & omnipotentiam communicatam à Deitate & omnipotentia Filij Dei: hanc maieſtatem ait humanam naturã reipſa vere poſsidere, & vnà cum verbo omnia coram gubernare, vnà cum ipſo omnipotentem eſſe. Cum autem talem ſtatuant realem transfuſionem in ipſam humanitatem, certe phyſicam ſtatuunt communicationem, neque enim eſt verbalis communicatio: neque tantum volunt ea quæ naturæ ſunt propria perſonæ propria fieri, ſed ſuam cõmunicationem faciunt transfuſionem proprietatum ex vna natura in alteram. In eo autem errant quod non diſtinguunt communicationem donorum, à communicatione proprietatum, Deum varia & ampliſsima dona largiri homini.

Recog. pag. 29.

Pag. 40.

Alia cõmunicatio donorum alia proprietatum.

hominibus manifestissimum est, humanitatem etiam Christi in se præ omnibus alijs creaturis excellentissimis donis ornatam esse non est controuersum, hæc autem dona sunt creata & finita: sed an etiam proprietates Deitatis infinitæ & æternæ, in humanam naturam sint transfusæ vt eas in se habeat, de hoc est controuersia. Quod autem aiunt posita tali communicatione non tamen ideo tolli humanæ naturæ proprietates, nec exequari naturas, impudenter sane faciunt qui contradicentia de eosdem subiecto simul & semel affirmata vera esse velint: humanæ naturæ proprietas est esse finitum & circumscriptum, Diuinę infinitum & incircumscriptum, si hoc transfunditur in humanam naturam & tamen ea suam proprietatem seruet, eadem finita & infinita erit. Si autem dicunt infinitum & incorporeum & absque principio esse non transfundi in humanam naturam, tum illam omniũ proprietatũ transfusio nõ est sine exceptione, vt Brentius affirmat, & quidem ita constanter, vt affirmet non esse differentiam inter Christum & alios homines, nec verbum potuisse fieri carnem, nisi humana natura omnes Dei proprietates absque exceptione acceperit. Præterea cum proprietates naturam constituant, & in Deo idem sint cum essentia, potentia sapientia & reliqua Recog. pag. 44.

propria, non poteſt in Chriſto ſtatui alia proprietatum communicatio quam qualis ſtatuitur eſſentiæ cõmunicatio. Eſſentiarum autem realis transfuſio, abſq; earundem confuſione non poteſt conſtitui. Mirum autem eſt iſtos homines in effuſione donorum in humanam naturam, quærere rationem vnionis perſonalis, & duntaxat de eo diſputare quomodo Homo ſit Deus, ſit omnipotens & omnipræſens factus, cum ſcripturæ alio ordine vtantur, & Verbum dicant carnem factum: non carnem verbum factum: Patres quoque Cyrillus, Maxentius, & alij monent ſcripturam tradere quod Deus homo factus ſit, non quod homo Deus ſit factus, quod Neſtoriani docebãt. Certe ſi quis bene expẽdat vniuerſam doctrinam Brentij & ſuorum, vix poterit eos à crimine Neſtorianæ hæreſeos defendere. Cum autem explicant communionem realem, ſeu transfuſionem proprietatum diuinæ naturæ in humanam, eam nihil aliud eſſe quam quod Verbum aſſumpta humana natura nihil operetur niſi cum illa & per illam, ſicut anima omnia operatur per corpus, in eo ipſi peccant quod in nobis accuſant: rem enim ambiguam pro confeſſa ſumunt, & argumento vtuntur æque incerto atque id quod in quæſtione verſatur, denique hoc conceſſo non tamen conficiunt quod volunt.

volunt. Ac primum Verbum nihil nunc agere
sine carne assumpta libenter illis damus, ope-
ratur enim vt Deus incarnatus, neque quam
semel in suá hypostasim assumpsit humanam
naturam, à se deponit aut separat: an autē Ver
bum omnia suæ omnipotentiæ opera per suá
humanitatem vt per instrumentū perficiat, id
non facile absq; exceptione illis quis concesse
rit. Anima quidē nihil agit vllo in loco à quo
corpus eius actu absit, sunt enim ambo finitæ
naturæ, & anima quasi intra corpus concludi-
tur: at non sic diuina natura infinita, humani-
tati finitæ iuncta est, vt intra illam concluda-
tur, sed multa operatur in illis locis in quibus
humanitas eius essentialiter & reipsa non ad-
est. Neque enim Centurionis puerum per cor
pus vt per instrumentum sanauit, neque La-
zarum per corporeos oculos absentes, vt per
instrumentum morientem aspexit: etsi enim
vtrunque non sine corpore factum est, non ta
men per hoc vt per instrumentum factum est.
Multo minus dicendum est Christum à mor-
tuis suscitasse corpus suum, & sustulisse supra
omnes cœlos, per humanitatem suam tanquā
per instrumentum. Deinde quod sumunt ani
mam per corpus vt per instrumentum omnia
sua opera exercere, controuersum est: nam nō
ignobiles Peripatetici docent animā per men-

tem intelligere vt corpore pro instrumento non vtatur: & tamen homo intelligere dicitur. Simili modo etiamsi Verbum operetur quædam non per assmuptam humanitatem, nihilominus dicitur Christus hæc operari, Verbum enim nihil agit absque humanitate postquam eam semel in vnitatem personæ assumpsit, etsi non omnia per illud vt per instrumentum faciat. At concesso verbum per corpus vt per instrumentum omnia agere, tamen non erit hęc propria & specifica differentia vnionis personalis, neque enim per aliquem facere aliquid efficit vnam persoam, nã Pater dicitur omnia fecisse per Filium, neq; instrumentum esse, alicuius efficit vnam esse personam.

An ex vnione personali statuatur omnipræsentia corporis Christi, et hac negata naturæ separentur, & vnio vera tollatur.

Quæstio de vnione personali ab aduersarijs ideo mota est, vt statuant omnipręsentiam corporis Christi, & ex illa probent realem & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Domini in pane cœnæ Dominicæ, vt autem hanc suam sententiam confirment ita argumentantur. Verbum caro factum est, hoc est Deus & homo in Christo ita sunt coniun-

Aduersariorum argumentum.

ćta vt

ta vt cōstituant vnam personam, nec possunt à se inuicem ne morte quidem separari. Vbicunque igitur est diuinitas Christi, ibi humanitas Christi sit necesse est. Diuinitas autem Christi est in pane cœnæ dominicæ quia replet omnia ineffabili modo. Ergo necessarium est vt & humanitas Christi, hoc est corpus & sanguis Christi, sint in pane cœnæ dominicæ præsentia. Si enim (aiunt) ratio vnitatis personæ in Christo non eo se extendit, vt diuinitas Christi vbique habeat humanitatem quam assumpsit sibi coniunctam, & indissolubili nexu copulatam, sed humanitas eius in vno tantum certo loco est, siue in terra siue in cœlo, sola autem diuinitas cœlum & terram implet, quid aliud sequeretur, quàm quòd Christus in vno tantum loco Deus esset & homo, in omnibus autem alijs solummodo Deus? An non hoc est clare, aperte & manifeste facere duas personas? Ad hoc argumentum cum copiose à nostris responsum sit, illud tamen ante omnia repetendum est, etsi dicamus corpus Christi propter veri corporis rationem circumscriptum & in vno tantum loco simul & semel esse, non tamen nos negare diuinitatem Christi vbique habere humanitatem quam assumpsit SIBI coniunctam & indissolubili nexu copulatam. Totus Christus vbicunque est, Deus & homo

Recog. Pag. 17.

Diuinitas ubique habet sibi cōiunctam humanitatem.

eſt, ideoque nuſquam eſt ſine humanitate, nõ tamen totum Chriſti eſt eſſentialiter vbique. Diuinitas enim Verbi quę vbique prȩſens eſt, non localiter alicubi eſt, aut circumſcriptiue, aut definitiue, ſed vbique tota eſt eſſentialiter, cum autem adeſt non adeſt vt Verbum abſque carne ſed Verbum incarnatum, & illa eadem diuinitas quæ præſens eſt in terris, humanitatem ſuam quæ in cœlis eſt, ſic ſuſtentat, vt eam non deſerat nec ea aliter quam in diuinitate ſibi vnita ſubſiſtat, attamen nõ ideo humanitas in terris præſens eſt: itaque hoc non eſt probandum aduerſarijs diuinitatem Verbi habere vbique SIBI coniunctam humanitatem, neque enim hoc negamus, ſed negamus propterea ſequi: Cui rei diuinitas eſſentialiter præſens eſt, vt illi rei eſſentialiter præſens etiã ſit humanitas diuinitati coniuncta, vt ſcilicet diuinitas eam ſiſtat præſentem in omnibus locis ad quæ ipſa quaſi diffunditur. Nam alius modus eſt præſentiæ diuinitatis quæ infinita eſt, aliud modus præſentiæ humani corporis quod finitum & circumſcriptum, localiter & circumſcriptiue prȩſens eſt, vbi ſua ſubſtantia præſens eſt. Exempli cauſa humana anima tota eſt in capite & in eodem prȩcipue vires ſuas exerit, & tamen eadem anima quæ tota eſt in capite, tota etiam eſt in pedibus, neque propterea

Humanitas non ideo præſens ubique quia diuinitati ubique coniuncta.

pterea caput est in pedibus, aut anima à capite ideo separatur, quia non simul existit in pedibus. Neque sequitur, anima mea vbicunque fuerit habet sibi vnitum caput meum in eadem hypostasi, ergo vbicunque est anima puta in manu vel pede, ibi est caput. Fateor hoc exemplum non per omnia congruere, quoniam non caput solum cum anima facit vnam personam, sed totum corpus, sed nihilominus hoc exemplo satis ostenditur vnionem insepa rabilem permanere, etiamsi rebus vnitis non tribuatur coexistentia. Neq; debet hoc exemplum inconueniens videri, vbi de capite agitur parte tantum totius corporis hypostatice vniti cum anima, quando hic quoque potissimum quæritur de corpore quod est pars humanæ naturæ cum verbo personaliter vnitæ.

Ratio autem cur humana natura non sit vbique præsens vti diuina, hæc est, quod diuina natura infinita est & incorporea, humana autem corporea, finita & certo loco circumscripta: diuina autem natura assumpsit humanam naturã saluis ipsius proprietatibus, aliâs enim confunderentur naturæ, & vna mixta fieret. Atq; proprietates humanæ naturę saluas mansisse in vnione personali, Brentius quoque fatetur, sed tamen distinguit proprietates, quod aliquæ sint substantiales, aliquæ accidentariæ

Esse incerto ubi est corporis substantialis proprietas.

& separabiles, & terrenæ infirmitatis: substantiales autem mansisse saluas, cęteras non item: & inter accidentarias proprietates hanc vnam esse vt Corpus sit in loco, itaq; non repugnare proprietatibus substantialibus & ipsi essentiæ humanæ naturæ, vt corpus Christi diuina potentia sit vbique. Verum longe aliter se res habet, nam circumscriptio adeo propria est naturæ createę, vt etiam beati angeli qui proprie nó sunt in loco, quod cum sint incorporei non habent corpus ambiens, tamen quia habent substantiam limitatam quoad ordinem vniuersi etiam in loco aut certo Vbi sunt. Vbique veró præsentem esse ita proprium est diuinæ naturæ vt hoc argumento firmissimo diuinitatem Filij & Spiritus sancti veteres demonstrarint, quod certe horum sententia prorsus conuellitur qui vbiquitatē humanę naturę tribuunt. Sunt autem proprietates essentiales consentiente Brentio quas definitione comprehendimus, sed ad humani corporis definitioné pertinet vt sit organicum, vt singulæ partes propriam habeant conformationem seu figuram, dimensionem & magnitudinem, ordinem item inter se ac situm: vt autem singula organa vel partes corporis suam proportionem, quátitatem, ordinem & situm habent: ita totú quoque corpus certam dimensionem situm, ideo

que

que certum locum ſeu vbi habere oportet. Quin imo Brentiani ipſi hic aliquantulum à Brentio ſuo receſſerunt, & faſſi ſunt proprietatem eſſe corporis certum Vbi, ſcribentes triplicem eſſe corporis Chriſti conſiderationem: phyſicam qua corpus Chriſti natura finitum ſimul & eodem tempore vnum tantum locum occupauit: ſecundam eſſe conſiderationem corporis Chriſti in gloria, hac ratione pro natura & proprietate glorioſorum corporum, corpus Chriſti proprietate ſubſtantiæ finiri vt non ſit vbiq; ſed alicubi vbicunq; ſit: tertiam eſſe rationem humanitatis Chriſti ad dexterā virtutis & maieſtatis Dei collocatæ, iuxta hāc rationem, Chriſtum etiam ſecundum humanitatem vbiq; præſentem eſſe. Sed ſi hæc eſt naturalis & glorioſi corporis proprietas, vt non ſit vbique, tale autem corpus à Chriſto aſſumptum eſt, aut hæc proprietas ſublata eſt vnione perſonali, & falſū eſt proprietates ſaluas manſiſſe, falſum etiam corpus Chriſti in gloria ſubſtantiæ proprietate finiri & non eſſe vbique: aut non eſt ſublata hęc proprietas naturalis & glorioſi corporis, & tamen ſeſſione ad dexteram ſeu maieſtatis modo humanitas Chriſti vbique præſens eſt: atque tum hoc modo vel naturale & ſubſtantiale corpus Chriſti ſaluis ſuis proprietatibus naturaliter & ſubſtantialiter

ter præſens eſt, & contradictoria de eodé corpore affirmantur, illud ſimul & ſemel eodem tempore, & vno tantum in loco & vbique naturaliter & eſſentialiter præſens eſſe: aut non affirmatur eſſentialis & ſubſtantialis omnipręſentia, qua ſubſtantia & eſſentia ſua pręſens ſit corpus Chriſti, ſed alia quædam, forte ἐνεργεια præſentia ab his intelligitur, & fruſtra de hac præſentia contenditur ad ſtabiliendã præſentiam corporis Chriſti in pane cœnæ Domini, hanc enim præſentiam hactenus corporalem, naturalẽ, eſſentialem, ſubſtantialem eſſe docuerunt. Neque refert, quòd modos præſentiæ diſtinguunt: hoc in quęſtione verſatur, an corpus Chriſti eſſentia & ſubſtantia ſua, actu & reipſa in vno aliquo loco ſit (quod aduerſarij de corpore Chriſti naturali & glorioſo nunc fatentur) & idem eodem tempore eſſentia & ſubſtantia ſua, actu reipſa vbique ſit, hoc autẽ affirmare eſt planè contradictoria ſtatuere, ſiue dicas ſeſsione ad dexteram, ſeu quocunque alio modo id fieri. Magis ergo conſentaneè ſuæ opinioni Brentius ſcripſit, qui in loco eſſe, negat eſſe proprietatem eſſentialem corporis, ſed accidentariam & ſublatam à corpore Chriſti, quàm hi qui hanc proprietatem retinent, & tamen nihilominus Omnipręſentiam corpori Chriſti tribuunt.

Vnio

Vnio etiam personæ non posita est in coexistentia vnitarum naturarum, vt vna sit vbicunque est altera, quamuis enim hæc coexistentia in finitis naturis, quæ eiusdē sunt mensuræ, locum habeat, vt in anima & corpore, si totam hypostasim spectamus (quamuis etiam anima inseparabiliter tota sit in parte aliqua, quæ tamen, vt diximus, non vbique est, vbicunque anima est, nec ideo ab anima separatur) non tamen est propria ratio & specifica differentia vnionis, alioqui quæ simul existunt & operantur, vna persona essent. Neque etiam vnio posita est in transfusione aut communicatione donorum in naturis, cum naturæ proprietates personæ communicentur, illa autem transfusio in alteram, sit confusio naturarum. At verò vnio posita est in identitate hypostaseos, vt humana natura suam existentiam habeat, habuerit habituraque sit semper in Verbo, vt diximus, ad hoc autem non requiritur vt humanitas vna cum diuinitate vbique substantialiter adsit, nam nihilominus manet vnum ὑφιστάμενον, humanitas enim licet in cœlo sit, diuinitatem tamen in persona Verbi coniunctam habet, & in illa subsistit, neque vllam extra λόγον personalitatem habet: diuinitas etiā siue λόγος licet vbiq; sit, eadē tamē est & non alia quàm quæ humanitatē in sua persona

Vnio hypostatica in quo consistat.

ſuſtentat,& non minus integra eſt in minima vniuerſi parte, quàm in vniuerſo toto:nec aliter hic aliter ibi,ſed ſimul & ſemel intra, extra & ſupra ſingula & vniuerſa,non diffuſione locali nec mole ſe extendens, ſed præſentia ſubſtantiæ omnia continens & gubernans. Quare vbicunque ſit, quia humanitatem in hypoſtaſim ſuá aſſumpſit,ſine ea eſſe non poteſt. Quâuis non ſicut illa ſubſtantialiter vbique eſt, ita quoque humanitatem præſentem eſſe neceſſe ſit, cum id naturæ veri corporis & teſtimonijs ſacræ Scripturæ repugnet. Primum enim ante reſurrectionem Chriſti à mortuis,corpus eius non fuiſſe vbique præſens,ſed certo in loco manifeſtum eſt ex Scripturis, quæ corpus Chriſti viſibile & palpabile, organicum ſuam formam,figuram & circumſcriptionem habuiſſe oſtendunt, & eidem motum de loco in locum , & certum locum tribuunt, & Chriſtum ita in loco vno fuiſſe tradunt vt alibi non eſſet:veluti cum Lazaro mortuo ſe inquit gaudere propter diſcipulos quòd illic non fuerit. Et mulieribus Chriſtum in ſepulchro quærentibus,Angelus reſpondit , eum ſurrexiſſe & non hic eſſe. Neque nos mouet quod Brentiani hæc quæ de Chriſto dicuntur per diſpenſationem exponunt:aut enim quod exinanitioni & diſpenſationi tribuunt vere & reipſa ita

Corpus Christi non fuit ubiq.

fuit

fuit & factum eſt vt Chriſtus vere & reipſa cor-
pore ſuo eſſet in certo aliquo & definito loco,
& eodem ſubſtantialiter & reipſa alibi tum
non eſſet, aut tantum viſus eſt vno in loco eſ-
ſe, reuera autem ibi non fuit: hoc poſterius ſi
dicant, Martionitæ ſunt: ſin alterum conce-
dunt, ruit eorum argumentum: quod enim a-
ctu & reipſa eſt ac fit vna cum perſonali vnio-
ne duarum naturarum, hoc vnionem non ſol-
uit: at humanitas Chriſti actu & reipſa eſſen-
tia ſua fuit vno in loco, vt eodem alibi reipſa
ſubſtantia & eſſentia ſua non eſſet, diuinita-
te interim cœlum terramque implente: Qua-
re non ſoluitur vnio quando humana natura
nunc quoque vno in loco eſt, diuinitas vbi-
que. Nam hoc ipſum ſcriptura quoque de cor-
pore Chriſti in gloria teſtatur: Chriſtus mox
à reſurrectione corpus ſuum viſibile & palpa-
bile diſcipulis oſtendit, aſcenſio eius in cœlos
fuit corporalis & viſibilis, denique Petrus ait,
Chriſtum oportere cœlo capi οὐρανὸν δέξασθαι vſ-
que ad tempora reſtitutionis omnium: quam-
uis enim Selneccerus cum ſuis multum ſe tor-
queat in huius loci interpretatione, tamen hic
eſt manifeſtus verborum ſenſus, Chriſtum in
cœlis eſſe aut contineri (ſcilicet corpore ſuo)
vſque ad tempus illud quo venturus eſt ad iu-
dicandum orbem terrarum, & ſic hunc locum

tota antiquitas intellexit & interpretata est.

Porro qui affirmant humanitatem Christi vbiq; esse vbi diuinitas eius præsens est, vt sicuti corpus hominis vbiq; præsens est vbi anima est, ita etiã humanitas præsens sit vbi λόγος, & ni hoc statuatur, naturas loco separari aiũt, quod vno in loco sit Christus Deus & homo, in altero Deus tantum, hi quod alijs obijciunt, nimis crassas de diuinitate imaginationes animo cõcipiunt, ac videntur existimare Diuinitatem in humanitate inclusam quodammodo esse, & definitam terminis humanæ naturę, sicuti anima in corpore est, nõ quidẽ loco, sed proprietate substantiæ illic circumscripta aut definita. Nam si sequitur humanitatem vbique esse vbi diuinitas est, eandem omnino mensuram vtriusque statuere oportet, & vel diuinitatem humanitate circumscribere & definire, aut humanitatem cum diuinitate quasi coextendere & infinitam facere. Quam autem diuersa hic ratio sit Diuinitatis & humanitatis adsumptæ, ab anima humana cum corpore vnita, Athanasius in lib. de humanitate Verbi eiusque corporali aduentu ostendit, cuius verba non pigebit adscribere.
" Non enim (inquit) in cor-
" pore circumclusus erat: neque quum in corpo
" re aderat alibi deerat: neque quum illud moue
" bat, alia eius vi actu & prouidentia destituta

fuere:

fuere: sed quod summæ admirationis est, ea o-
mnia ipse, vt ratio, à nemine cõtentus contine
bat. Et sicuti præsens in omni rerũ natura, ex
tra tamen omnia subsistit, quantum attinet ad
ipsius substantiam, ita quoq; intra omnia habe
tur, quantum spectat ad ipsius potentiá omnia
gubernans, & ad omnia in omnibus suam pro
uidentiam pandens: singulaq; separatim, cun-
ctaque in vniuersum simul viuificans: circum
plectens omnia, à nullo circumplexus, sed per
omnia, quum sese extẽdat, in solo Patre totus
& integer permanet. Ita quoque cum esset in
humano corpore, atque illud ipse viuificaret,
eodem quoque momento viuificabat vniuer-
sa, & in omnibus aderat, & extra vniuersa sub
sistebat, & quum per corpus operaq; sua inno
tesceret, ne tum quidem (quantum ad energiá
actumq; rerum naturæ omnium pertinet) ob-
scuriter latebat. Mentes haud dubie officium
est, cogitationibus, quę foris extraq; suum cor
pus consistunt, contemplari, actum tamẽ vim
que suam extra corpus non porrigere, nec quę
longinqua sunt, ea sua præsentia mouere: Nũ-
quam enim homo longinqua cogitans, ea
quæ cogitat statim mouet aut transfert. Ne-
que præterea (si quis domi desidens de cœlo
cogitationes ineat) ideo continuo & solum
mouerit & cœlum circumuerterit, sed vt ea

" contuetur in motu & rerum natura existere,
" ita vim suam explicare in ea non potest. Cæte
" rum nequaquam eodem modo Dei Verbum
" in corpore humano versabatur, vt quod ibi nō
" colligatum esset, sed potius corpus in se conti
" neret, adeo vt & ibi esset, & in omnibus existe
" ret, & extra rerum essentias versaretur, & in so
lo Patre requiesceret. Hæc Athanasius cuius verba ideo apposui vt appareat illos abuti simi litudine humanæ animæ & corporis, qui inde Vbiquitatem humanæ naturæ in Christo probare volunt, atque vt refutarem illos qui ex Athanasio vbiquitatem corporis Christi probare conantur, quia Oratione contra Arianos scribit, Iam vero quum eius sit corpus, neque Verbum sit extra corpus, merito exaltato corpore, ipse vt homo exaltatus esse memoratur. Neque enim his verbis vel verbum corpore circumscribit, vel corpori vbiquitaté tribuit; sed corpus non separatum fuisse à Verbo ait: erat proprium Verbi corpus quod exaltatum est. Sed non eum tribuere coexistentiam talem Verbo & corpori, vt vbi sit Verbum ibi sit corpus, satis eius verba commemorata redarguunt. Apparet autem ex Vigilio tales olim Eutychianorum cogitationes fuisse, vt existimarint vel mensura humanæ naturæ circumscribendá diuinam naturá, vel humanitatem

cum illa per omnia diffundendam. Differit autem hic auctor valde perspicue de tota hac controuersia, sed ex illo pauciora testimonia adfero, quod velim hunc integrum vna cũ Theodoreto diligenter ad totius controuersiæ explicationem cognosci.

De sessione ad dexteram Dei Patris.

Inter alia argumenta quibus Vbiquistæ vtuntur, hoc inter præcipua vnum est: Dextera Dei est vbique: Christus secundum humanitatem suam sedet ad dexteram Dei : Ergo Christus secundum humanitatem suam est vbique. Item, Dextera Dei non est locus, ergo Christus qui humanitate sua ad dexteram Dei sedet, non est in loco. Si Christus per sessionem ad dexteram Dei, humanitate sua non est vbique, sed in cœlo tantum, tum sequitur eum non ad totam dexteram Dei, sed ad partem eius sedere. Statueram hoc argumentum sæpe à nostris confutatum præterire, sed quia ascensionem in cœlos, & sessionem ad dexterá Dei cum vnione personali confundunt, de ea quoque aliquid dicendum existimaui. Quoniam vero hæc in symbolo fidei nostrę distincte proponuntur, Qui conceptus est ex Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Ascendit in cœlos, Sedet ad dexteram Dei patris omnipoten

Arg. à sessione ad dexterã Dei.

Aduersarii articulos fidei distinctos confundunt.

tis, seruemus nos hanc distinctionem neq; hęc confundamus. Nam & idipsum scriptura testatur, Christum excitatum à mortuis, & dextera Dei euectum ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Patris. Ita etiam sacra historia tradit, Christum assumptum in cœlú, consedisse à dexteris Dei. Christus ipse à resurrectione dicebat discipulis, Nónne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam? Similiter in epistola ad Hebreos traditur Christum victimam se obtulisse pro peccatis, & crucem pertulisse, & in perpetuum ad dexteram throni Dei consedisse. Sed Vbiquitarij, qui sessionem ad dexteram nihil aliud esse definiunt, quàm Christum cum Deo Patre suo æquali esse maiestate & omnipotentia, aiunt hoc factum esse, quando assumpsit humanitatem in Deum, atque ita ab ipsa incarnatione Christum collocatum ad dexteram Dei, sed post resurrectionem manifestatam & declaratam esse sessionem, quam semper habuerit. Non quæro iam de sessione ad dexteram quomodo hæc Christo secundum humanam naturam tribuatur, hoc primum arguo, quod confunduntur distincti articuli fidei, deinde quod sessio contra scripturam tribuitur humanitati Christi ab ipsa incarnatione. Scholastici quidem docent dexteram Dei trifariam accipi, & aliquan-

Act. 2. 1. Pet. 3. Ephes. 1.

Marc. 16.

Luc. 24.

10. & 12. cap.

Thomas 3. parte. q. 58. art 3.

aliquando significare gloriam & honorẽ Deitatis, sedere autem ad dexteram, significare quandam conuenientiá, quod hic habeat gloriam Deitatis cum quadam tamen distinctione, atque sic Christum secundum diuinam naturam sedere ad dexteram Patris, quòd eandem cum Patre naturam & Deitatem habeat, atque ita sit Patri æqualis, quamuis sit alia persona: alio autem modo secundum gratiá vnionis hominem Christum sedere ad dexterá Patris, secundum quod homo est Filius Dei: nõ quod hæc humanæ naturæ conueniant, vt hęc in se habeat, sed quod hoc secundum vnitatem personæ aut suppositi illi tribuatur, quòd eodem honore veneramur filium Dei cum natura assumpta. Itaque si naturas in Christo spectamus, secundum diuinam naturam, sessio ad dexteram significat æqualitatem Patris: secundum humanam naturam, beatitudinem maiorem cæteris creaturis & iudiciariam potestatem significat: at ratione personæ, Christum secundum quod homo est, quoq; priori modo ad dexteram Patris sedere. Atq; si ita de sessione loquerentur Brentiani ferri possent, nunc quæ personæ sunt naturę tribuunt, & omnẽ gloriam & ęqualitatem Deitatis, sessione hac humanæ carni per transfusionem quandá communicatam volunt. Scripturæ ita dicunt

Christum ſedere ad dexteram Dei , vt ſancti quoq; cum illo conſideant ad dexteram Dei: Conſedere nos fecit cum ipſo in cœleſtibus. Item, Vincenti & ſeruanti opera mea vſque in finem, dabo poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea , ſicut & ego accepi à Patre meo. Apoc.2. Rurſus ibidem cap.3. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in ſede mea, ſicut & ego vici , & ſedi cum Patre meo in ſede ipſius. Hæc autem non poſſunt intelligi de æqualitate maieſtatis, quam humanæ naturæ tribuunt aduerſarij ratione vnionis, nam vt vnio ita hęc quæ vnione accepit, genere toto differunt à præſentia & operatione Deitatis in ſanctis.

Porro argumentum hoc , Dexteram Dei eſſe vbique : Humanitatem eſſe ad dexteram Dei: ergo humanitatem eſſe vbique: eſt vitioſum & ſophiſticum: nam vt firma eſſet concluſio oporteret ſumere , Humanitatem eſſe dexteram : Filio autem Dei ſecundum diuinam naturam non tantum tribuitur , quòd ſedeat ad dexteram Dei , ſed etiam quòd ſit dextera Patris , hoc vero de humana natura dici non poteſt. Quod ſi dicunt dexteram Dei ſignificare maieſtatem , imperium , gubernationem omnium rerum , cum autem Chriſtus ſedeat ad dexteram, hoc eſt, cum Deo Patre regnet, oportere humanam naturam , quæ ad dexte-

ram

ram Patris sedet, vbique præsentem esse, quoniam Deus omnia vbique præsens regat: hæc erit eorum hypothesis. Id quod est ad dexteram Dei, quia dextera infinita & vbique præsens est, idipsum quoque vbique præsens esse. Sed his nostri recte responderunt verbis D. Augustini. Non est autem cõsequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis verissima scriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur & sumus, nec tamen sicut ille vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrunque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. Conantur aduersarij hanc sententiam eludere, quod Augustinus tantum comparate neget omnipræsentiam carnis Christi, quòd non vt diuinitas, hoc est, eo modo, quo diuinitas, sed alio modo omnipræsens sit: sed hoc est merum sophisma: nam mox hæc inter se opponit, quod vt Deus vbique sit, & quod per id quod homo, hoc est, secundum humanam naturam in cœlo sit. Supra etiam: Secundum hominem (inquit) in terra erat, non in cœlo vbi nunc est: item Christum ait iuxta humanam humilitatem per carnem fuisse in sepulchro, per animam in infer-

Id quod ad dexteram non est ubique ut dextera.

no, iuxta diuinam immutabilitatem, quia semper vbique est nunquam de paradiso recessisse, ac subijcit. „ Noli itaque dubitare ibi nunc „ esse hominem Iesum Christū, vnde venturus „ est, memoriterq; recole & fideliter tene Chri„ stianam confessionem, quoniam resurrexit à „ mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram „ Patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad „ viuos mortuosque iudicandos. Et sic ventu„ rus est illa angelica voce testante, quemadmo„ dum ire visus est in cœlum, id est, in eadē car„ nis forma atq; substantia, cui profecto immor„ talitatem dedit, naturam non abstulit. Secun„ dum hanc formam non est putandus vbique „ diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinita„ tem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. His subijcit ea verba quæ nos ante adduximus: quæ si bene expendantur facile apparebit Vbiquitatem corporis Christi nequaquam ab Augustino asseri. Neque licet hic vti vsitato sophismate quòd Augustinus loquatur de humana natura in se considerata, non autem de modo maiestatis. Nam iubet ita diuinitatem hominis adstruere, ne tollatur veritas humanæ naturæ: siue autem diuinitatem hominis intelligamus, maiestatem diuinam homini communicatam, qualem Aduersarij fingunt: siue diuinitatem verā, qua homo hic

est Deus

est Deus, vna existente persona Verbi & hominis, tamen monet vt hominis diuinitate, nec per vnionem seu assumptionem, nec per communicationem maiestatis, humanę naturæ veritatem negemus, illam scilicet veritatem circumscriptæ formæ & substantię quam supra docuit.

Præterea si in ipsa incarnatione Christi caro collocata est ad dexteram Dei, aut si post resurrectionem carnem suam Christus euexit ad dexteram Patris, talem vtiq; carnem euexit qualem assumpsit, & qualem à resurrectione habuit, hoc est, finitam & humanæ naturę proprietates seruantem, neque veritatem naturæ humanæ & proprietatum eius, sessio ad dexteram aboleuit, nam vt Augustinus ait, Christus immortalitatem carni suę dedit, naturam non abstulit: & Eutychianum est affirmare naturam sublatam, aut quod idem est proprietates naturæ sublatas, nam recte VI. Synodus affirmat naturarũ proprietates tollentes, ipsas naturas tollere. Itaque sicut λόγος assumpsit humanam naturam, seruata tamen proprietate humanæ naturæ, sic eandem in sua hypostasi vt assumpsit, ita quoque ad dexteram Patris collocauit, seruata veritate naturæ, quamuis eam supra omnes alias creaturas cœlestibus donis ornarit. Atque ita docuit vetus ecclesia,

humanitatem Christi in forma serui & nostræ naturæ proprietate sedere ad dexteram Dei, & inter corporalis absentiæ, & veri corporis argumēta ab illis ponitur sessio ad dexteram: atque huic præsentiam Maiestatis opponunt: id quòd vno atque altero testimonio ostendisse fat erit. Theodoretus Dialogo 2. Corpus „ Domini quod resurrexit, à corruptione qui- „ dem & interitu alienum & impassibile, & im- „ mortale & diuina gloria glorificatum, & ses- „ sione ad dexteram Patris dignatum est, & à „ cœlestibus adoratur potestatibus, corpus ta- „ men est, & habet quam prius habuit, formam figuram, & circumscriptionem. Augustinus etiam in his quę supra adduximus dicit, Christum secundum formam & substantiam carnis, qua in cœlos ascendit & sedet ad dexterā Dei, & inde venturus est ad iudicandum, non esse vbique diffusum. Et alibi ait, Secundum carnem quam Verbum assumpsit, & corporis præsentiam, ascendit in cœlum, & non est hic „ (ibi enim sedet ad dexteram Patris) & hic est, non enim recessit præsentia maiestatis. Forma serui leuata est in cœlum: in ipsa sedet ad dexteram Dei Patris, in ipsa venturus est ad iudicium. Fuit autem, vt ibi apparet, Arianorum sententia, Formam serui resurrectione consumptam, quod Augustinus negat, & eam

Contra serm. Arria. cap. 34.

In Ioan. lib. 11. ca. 3. contra Maxim. 3. cap. 16.

manere

manere docet, sed in melius commutatam, & propter serui formam dicere Christum, Ascen do ad Deum meum; & propter eandem formam, post iudicium subiectum fore ei qui sub iecit illi omnia. Forma serui liberata est infirmitate, non tamen exæquata formæ Dei. Cyrillus. "Nam etsi abest corpore Patri pro nobis apparens; ac à dexteris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum." Præterea grauissimam consolationem inde petunt piæ mentes, quòd caro nostra in Christo sedet ad dexteram Dei, vnde Tertullianus inquit, eum à nobis arrhabonem carnis accepisse & in cœlos euexisse, pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Et Augustinus: "Quod ex nobis suscepit in cœlum leuauit, & ad dexteram Patris collocauit, & fidei nostræ certum pignus dedit, quòd membra sunt ipsum secutura. De tanto igitur capite fideliter sperent, ad ipsum se posse peruenire, quem iam credũt ad dexteram Patris sedere. Regnat homo susceptus à Christo, ad dexteram Patris sedens, & vt sui regnum ab eo accipiant, vocat, inuitat & hortatur." At si humana natura in Christo sedens ad dexteram Patris, humanæ naturæ proprietates exuit, & toto genere dissimilis est nostræ (talem autem aduersarij statuũt, vtcunque id verbis negent) quæ nostra est cõ

Tollunt cõsolationem quam hic habemus.

De symbolo ad Catech.

munio cum carne Christi? Concidit hac ratione spes nostra.

Præterea præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, non statuitur sessione ad dexteram Dei, tale enim corpus nobis in cœna ad manducandũ datur, quale pro nobis est in mortem traditum. Nam vt Augustinus inquit, Sacramentum est illius corporis quod visibile, palpabile & mortale in cruce positum immolatumq́; fuit. Et Christus ipse loquitur de corpore suo pro nobis tradito, & sanguine suo pro nobis effuso. Alius autẽ est modus corporis traditi pro nobis, alius modus maiestatis, quem Brentiani statuunt ex sessione ad dexteram Dei.

De fide ad Petrum.

Futile etiam est argumẽtum, Dextera Dei non est locus, Christus humana natura seu in carne sua sedet ad dexteram Dei, ergo humana natura Christi non est in loco. Si concludant sessionem Christi nõ esse localem situm, aut sessionem, non contenderemus cum illis: sed non ideo quia dextera Dei non est locus, corpori Christi circumscriptio & certum vbi seu locus debet adimi. Nam alioqui ita quoq; argumentari liceret: Dextera Dei est infinita, Corpus Christi sedet ad dexteram Dei. Ergo est infinitum. Item, Dextera Dei non est corpus. Caro Christi sedet ad dexterã Dei. Ergo caro

caro Christi nō est corpus. Item, Dextera Dei non est visibilis aut palpabilis, ergo Christi corpus non est visibile aut palpabile. Ac forte aliquas harum consecutionum nonnulli probabunt, & nos ridebunt qui tam crasse sentiamus de corpore Christi, sed nos scripturis inhęrentes, maiestuosa eorum figmenta & dispensationes non curamus, cum sciamus veteres quoq; simpliciter scripturas, quæ visibilem formam, & palpabile corpus Christo tribuunt, intellexisse: vnde Gelasius contra Eutychianos qui humanitatis in Deū transfusionem quandam fingebant, sic scribit. Nam si & substantia & forma Christi, &c. Neq; firmius est alterum. Si Christus sessione ad dexteram Dei non sit vbiq; humanitate sua, tum eum sedere ad partem dexteræ. Dextera enim Dei loco non definitur, & tota est in minima quaq; re, & tota etiam est in toto vniuerso, tota est vbiq;. Nam dexteram Dei maiestate & potentia aduersarij definiunt, huius autem eadem cum essentia ratio, cum non aliud sit in Deo potentia & essentia. Quod si Christus sedet in cœlo ad partem dexteræ Dei, pars duntaxat dexterę Dei in cœlo est: si autem tota dextera Dei in cœlo est, quid prohibet, quo minus corpus Christi in cœlo maneat & non vbiq; sit: atq; nihilominus ad totam dexteram Dei sedeat?

An Christi corpus propter conceptionem ex Spiritu sancto habeat præter naturales proprietates, ita vt vbiq; præsens esse possit.

Sicut ex vnione personali ita ex conceptione è Spiritu sancto quidam omnipræsentiam corpori Christi tribuunt, atque aiunt Corpus hoc quia conceptum sit ex Spiritu sancto multas prę ternaturales proprietates habere, ac dissimile esse nostris corporibus, itaq; non constare hanc rationem: Nostra corpora non possunt vbique esse, ergo corpus Christi non potest vbique esse: hoc enim corpus inquiunt ex Virgine natum est, non de viri semine, clausis ingreditur ostijs & per lapidem sepulchri; carnalibus legibus non est subditum, & omnia humana transcendit: formatio huius corporis in vtero virginis ex Spiritu sancto, conuenit vnitioni diuinæ & humanæ naturę, ac attulit præternaturalia idiomata, ita vt Christus secundum vtranq; naturam vbique sit præsens. Est autem hoc non nouum argumentum, sed eo Eutychiani quoque veritatem humanæ naturæ abnegantes vsi sunt, & longe ante hos simili argumento, Origenes resurrectionem carnis negauit, vt refert Hieronymus ad Pammachiú, imò hoc argumento vsi sunt omnes quotquot humanæ naturæ veritatem in Christo

Veteres hæretici eodẽ argumento vsi sunt.

Serua-

Seruatore nostro abnegarunt. Etsi vero ab his plurimum sibi differre videntur nostræ ætatis Vbiquitarij, tamen eadem ferè ex eorum dogmatibus sequuntur, vt non mirum sit eosdem paribus argumentis vti. Fatentur se in Christo agnoscere humanam naturam, item proprietates substantiales, attamen neque quę illæ sunt explicant, & illas proprietates, quæ veri & organici corporis propriæ sunt, separabiles & accidentarias esse volunt, quas Christus exuerit: & contra diuinæ naturæ idiomata, ac proprietates quasdã supernaturales corpori Christi tribuunt, quæ tam sunt alienæ à humana natura, vt nunquam humana natura hæc habere possit, saluis suis essentialibus & naturalibus proprietatibus, nisi contradictoria simul vera esse possint: quod quidam eorum contra omnem rationem & contra scripturas affirmare audent, solo argumento omnipotentiæ id euincere volentes. Longe autem aliter ex scripturis docuit vetus ecclesia, cùm de alijs dogmatibus, tum de hac ipsa Conceptione ex Spiritu sancto: Sed quid ad hos vetus ecclesia, quos non pudet loca scripturæ plurima, & articulos fidei apertissimos noua ratione interpretari, & allegorias, tropos, figuras nouas & inauditas fingere, tantummodo ne cogantur tropum admittere in verbis cœ-

Corporis Christi prærogatiuæ.

næ Domini? Cæterum quod ad proprietates supernaturales corporis Christi attinet, fatemur præter naturam, qua reliqui homines nascimur & concipimur, multa diuinitus data corpori Christi: nos in peccatis nascimur & concipimur, Christi humana natura ab omni peccato pura & vacua fuit, Christi corpus ex Spiritu sancto conceptum, ex virgine natum est, longe aliter corpora nostra generantur & nascuntur: corpus Christi est proprium corpus τοῦ λόγου, corpora nostra etsi à Deo accepimus & ab eo sustentantur & conseruantur, tamen non sunt corpus filij Dei, nec ab eo ideo facta sunt, vt sua ipsius separatim sint, nec illi vnita & proprium Verbi indumentum & quasi instrumentum sunt vt illud corpus quod ex Virgine assumpsit.

Conceptio ex Spiritu sancto non facit ut contrarias nostris corp. propr. habeat.

Interea nihilominus ipsum Christi corpus quoad omnes naturales humani corporis proprietates nostris corporibus per omnia simile factum est, vno peccato excepto. Quare non debent tribui corpori Christi huiusmodi proprietates supranaturales, quæ veri & naturalis corporis proprietates tollant: etsi enim origine differt à nostris, non tamen nascendi varietas naturam corporis mutauit. Itaque
„ D. Hieronymus: Vis (inquit) & quartum hu-
„ manæ generationis genus audire? Spiritus sanctus

ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsim ob
umbrabit tibi. Propterea quod naſcetur ex te
ſanctum, vocabitur Filius Dei. Aliter Adam,
aliter Eua, aliter Abel, aliter homo Ieſus Chri-
ſtus. Et in omnibus diuerſis exordijs vna ho-
minis natura non differt. Athanaſius de hu-
manitate Chriſti & corporali eius aduentu:
Corpus Chriſti inquit, quod miraculo ex vir-
gine coaluerat, communem tamen habebat
naturam. Leo, Noua autem natiuitate gene Epiſtola ad Flauianum.
ratus, quia inuiolata virginitas concupiſcen-
tiam neſciuit, carnis materiam miniſtrauit.
Adſumpta eſt igitur de matre Domini natura,
non culpa, nec in Domino Ieſu Chriſto, ex v-
tero virginis genito, quia natiuitas eſt mira-
bilis, ideo noſtræ eſt naturæ diſsimilis. Item,
An forte ideo putauit Dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum, non noſtræ eſſe naturæ, quia
miſſus ad beatam Mariam angelus ait: Spiri-
tus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsi-
mi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſce-
tur ex te ſanctũ, vocabitur Filius Dei, vt quia
conceptus virginis diuini fuit operis, non de
natura concipientis fieret caro concepti? Sed
ita non eſt intelligenda illa generatio, ſingu-
lariter mirabilis & mirabiliter ſingularis, vt
per nouitatem creationis, proprietas remota
ſit generis. Fœcunditatem enim virigini Spi-

" ritus sanctus dedit, veritas auté corporis sum-
" pta de corpore est, & ædificante sibi sapientia
" domum, Verbum caro factum est, & habita-
" uit in nobis, hoc est, in ea carne, quam sumpsit
" ex homine, & quam spiritus vitæ rationalis a-
" nimauit.

Miracula nõ probant hoc corpus diuersas ꝓprietat. habere.

Porro exempla quæ afferunt non probant carnem Christi ex conceptione supernaturales proprietates accepisse, Ambulauit super aquas. Sed Petrus etiam super aquas ambulauit, graui & solido corpore (inquit Hierony-
" mus) mollis vnda non cedit, paululum fides
" dubitat, & statim naturam suam corpus intel-
" ligit, vt sciamus super aquas non corpus ambulasse, sed fidem. Et Euhemius, vt in sexta Synodo habetur, de ambulatione super aquas scribit, ex ambulatione, quæ pedum naturalis est operatio, proprietatem humanæ naturæ apparere, qua conseruata in natura humana vltra naturam operatum esse Christum Deum, super fluctus ambulando: gressum quidem esse corporalem & sensibilem: ambulare autem super mare, Deitatis fuisse per humaná carné operantis. Aiunt corpus hoc clausis ostijs ingredi, & per lapidē sepulchri trásire. Non quæro iam an ita factum sit, vt aduersarij asserunt, quãdo clausis ostijs potuit ita ingredi, sicut Petrus clausis ostijs è carcere egressus est, illis

prius

prius apertis: neque quæro an lapis sepulchri ante resurrectionem corporis Christi à sepulchro remotus fuerit, neq; hæc miracula in dubium reuoco. Sed inde non inferri posse contendo corpus Christi non seruasse naturales proprietates, hæc enim non proprietate præternaturali corporis Christi euenerunt, sed hæc virtus Dei fuit (vt rursus Hieronymi verbis vtar) & creatura cessit creatori. Ex miraculo vno extraordinario non est statuendum de proprietate rei: alioqui dicemus Mosem non opus habuisse cibo quia quadraginta diebus absque cibo in monte vixit: & dicemus corpora sociorum Danielis fuisse ἄσβεστα, quia ab igne illæsa fuerunt quando in fornacem ardentem iussu regis coniecti sunt, & per miraculum à Deo seruati.

An corpus Christi naturæ legibus subiectum fuerit.

Legibus naturæ Christum non fuisse subiectum agnoscimus, nisi quia volens se subiecit, est Dominus naturæ, sed assumpta carne, sponte in ea naturalibus proprietatibus subiectus fuit: & de eo nobis ita statuendum est, prout se in verbo suo patefecit, ac nobis de proprietatibus corporis Christi ex scripturis iudicãdum est. Nam vt Gelasius docet, ita magnificauit naturam suam sicut voluit, sicut per prophetas suos ante prædixit: sicut per Apostolos suos, per Euangelistas ecclesiæ suæ voluit inti

mari. Remittit autem nos Gelaſius ad historiam euangelicam, & ita nos vult de Christo ſentire, de eius conceptione, partu, de reſurrectione & poſt hanc conuerſatione cum diſcipulis, aſcenſione in cœlos, patefactione ſui de cœlis, aduentu ad iudicandum, ſicut ſcripturæ atteſtantur. Neque hic vllius diſpenſationis meminit, ſed vult nos vere poſt reſurrectioné Chriſtum ſecundum corpus viſibilem & palpabilem agnoſcere. Si enim inquit forma & "ſubſtantia hominis Ieſu Chriſti hac transfuſio" ne conſumpta eſt, quis eſt quem vidit ad de"xteram virtutis ſtantem S. Stephanus? Quis "hominis filius venturus eſt ad iudicandos vi"uos & mortuos? Quis erit quem videbunt in "quem compunxerũt? Abolitum eſt omne my"ſterium, vacuatum eſt atque reſolutum, vt di"ctum eſt, quod abſit, omne ſacramentum, fal"ſumque erit, quod ait ipſe Saluator: Palpate & "videte quia Spiritus carnem & oſſa nõ habet, "ſicut me videtis habentem. Et certe hoc poſt "reſurrectionem dixit, talis iam dixit qualis "cum diſcipulis conuerſatus eſt, conueſcens & "cohabitans cum eis. Talis dixit qualis aſcen"dit in cœlos: talis dixit qualis promiſſus eſt in"de eſſe venturus. Aut legant ipſi vbi, poſtea"quam de ſe illa profeſſus eſt, fuerit immutatus: "& aliter quàm ſe diſcipulis patefecit, aſcende-

rit leuatus in cœlum. Aut nos rectius ea ſequi- "
mur, quæ diuinis voluminibus aſtruuntur, "
non delirantium ſomnia, & phantaſmata va- "
na ſectamur. "

Aiunt formationem corporis Chriſti in vtero virginis ex Spiritu ſancto conuenire vnitioni diuinæ & humanæ naturæ, atque ideo attuliſſe præternaturalia idiomata, ita vt Chriſtus ſecundum vtranque naturam ſit præſens. Nos reſpondemus cum Cyrillo: Filium Dei genitum eſſe ex virgine θεικῶς & ἀνθρωπίνως diuinè & dignè Deo, ſimul & humanè, hoc eſt, carnaliter. Ac eſt quidem diuina natiuitas Verbi æterna eius generatio qua ex ſubſtantia Patris genitum eſt: ſed etiam aſſumpta carne generatio illa diuine facta dicitur. Deus enim exiſtés ſecundum naturam Verbum caro factum, proceſſit vt decet eum qui ſecundum veritatem eſt Deus: ſolus enim habuit matrem nuptias non expertam, & ſeruauit virginem eam quæ ipſum peperit ſecundum carnem, neque communis homo ex virgine natus eſt, ſed ipſum Dei verbum caro factum. Attamen admirabilis hæc natiuitas & ſpiritus ſancti operatio, qua in vtero formauit partum, non tollunt carnalem natiuitatem: Quoniam enim quod natũ ex carne caro eſt, genuit virgo vt caro exiſtens carnaliter. Sed ſi caro Chriſti vbiq;

Chriſtus natus θεικῶς.

præsens facta est per conceptionem ex Spiritu sancto, non nata est verè carnaliter: secundum carnem enim & carnaliter nasci, significat Cyrillo veritatem humanæ carnis, quę manere non potest si substantiales carnis proprietates per contraria idiomata super naturalia sublatæ sunt, alioquin si verba fiant de prærogatiuis humanæ carnis in Christo, eas libenter agnoscimus, salua tamen vtriusque naturæ proprietate.

De vera præsentia Christi in his terris secundum humanitatem.

Aduersarij nostri quotiescunque negamus realem & corporalem pręsentiam carnis Christi in cœna Domini, aut etiam eiusdem vbiquitatem, mox nos accusant quod Christum secundum humanitatem suam omnimodo à cœna sua & ab Ecclesia excludamus. Itaq; ne hic propter varios modos præsentię, calumnię eorum locus aliquis pateat, dicam dilucidę quá præsentiam Christi secundum humanam naturam concedamus aut negemus. Præsertim cum totam hanc tractationem de præsentia Christi secundum carné inscripserimus: nam & in controuersia de Cœna hoc potissimum controuertitur, & Vbiquitas inuenta est ad

præ-

præsentiam realem & carnalem in cœna stabi liendam: & noua doctrina de vnione personali, quæ per energiam & realem transfusionem proprietatum diuinæ naturæ in humanam definitur, Vbiquitatis confirmandæ causa in ecclesiam nuper introducta est.

Substantialis præsentia.

Primus igitur præsentiæ modus est substãtialis, quo corporata substantia, qualis est humanitas Christi, præsens dicitur, quando substantia sua corporaliter, localiter & naturaliter præsens est: hoc modo Christus antequam in cœlos ascenderet corpore suo in his terri spræsens fuit. Et similiter iuxta Sacras literas venturus esse creditur. Nunc autem post ascensionem suam corpore suo non ita in his terris pręsens est, sed veram corporis sui substantiam in cœlos euexit, & ideo ea in cœlis manente vsque ad extremum diem, neque in cœna, neq; vsquã alibi in terra corpore suo realiter & substantialiter præsens est. Atque ita Veteres semper senserunt, quia ascensionem Christi corporali eius præsentiæ opposuerunt, ac docuere Christum secundum humanam naturam qua ascendit in cœlos, iam non esse in terris, nec etiam fore ante secundum eius aduentum. Ac Fulgentius ad Thrasimundum regem multis ostendit, veram Christi humanitatem esse localem, ideoque vnum eundemque secundum

humanam ſubſtantiam abſentem cœlo fuiſſe cum eſſet in terra, & dereliquiſſe terram cum in cœlum aſcendit : ſecundum diuinam vero immenſamq́ue ſubſtantiam nec cœlum dimiſiſſe cum cœlo deſcendit, nec terram deſeruiſſe cum ad cœlum aſcendit. Et ideo Dominum vt humanitatem localem oſtenderet dixiſſe diſcipulis: Aſcendo ad Patrem meum & ad Patrem veſtrum: immenſitatem verò diuinitatis ſuæ oſtendiſſe diſcipulis dicendo: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Non autem potuiſſe deſcendere niſi fuiſſet verus & localis homo. Probat deinde Apoſtŏli teſtimonio qui iubet expectare filium Dei de cœlis, monſtrans corporaliter de cœlo venturum. Item meminit aſcenſionis qua corporaliter in cœlum aſcenderit, & in eadem veritate corporis de cœlo venturus ſit: & ex eo quod corpora noſtra conformia erunt corpori Chriſti, conficit, corpus Chriſti loco contineri: ac tandem ita concludit: Eſt itaque
" filius in cœlo, & habitat in nobis in terra, ſcili-
" cet illa ſuæ immenſitatis præſentia qua in no-
" bis Pater Spirituſq́ue ſanctus habitat. D. quoque Auguſtinus Epiſtola. 57. aſſerit Chriſtum ſecundum hominem ante aſcenſionem eius non fuiſſe in cœlo, vbi nunc eſt, quamuis ſecundum id quod filius Dei erat, eſſet in cœ-

lo. Itaq;

lo. Itaque non dubitandum ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est secundum Christianam confessionem, in eadem videlicet carnis forma, cui immortalitatem dedit, naturam nõ abstulit. Similiter illa loca scripturæ, in quibus Christo modo præsentia, modo absentia à terris tribuitur, Veteres interpretantur de corporali absentia, quod corpore nõ sit hic, atque ita Augustinus verba Domini: Me autem non semper habebitis interpretatur Tract. 50 super Ioan. Accipiant & hoc boni, sed nõ sint solliciti: loquebatur enim de præ„ sentia corporis sui: nam secundum maiesta„ tem suam, secundum prouidentiam, secũdum „ ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur „ quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscũ sum „ omnibus diebus vsq; ad consummationem se„ culi. Secundũ carnẽ verò quam Verbũ assum„ psit, secundum id quod de virgine natus est, se„ cundum id quod à Iudæis comprehensus est, „ quod ligno cõfixus, quod de cruce depositus, „ quod linteis inuolutus, quod in sepulchro cõ„ ditus, quod in resurrectione manifestatus, non „ semper habebitis me vobiscum. Quare? Quo„ niam conuersatus est secundum corporis præ„ sentiam quadraginta diebus cum discipulis „ suis, & eis deducentibus videndo, non sequen„ do, ascendit in cœlum, & non est hic; ibi enim „

sed & ad dexteram patris: & hic est, non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter secundum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habetis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt. Idem cum D Augustino sentit Cyrillus lib. 9. in Ioánem. cap. 21. Credere autem oportet fideles quamuis à nobis corpore absit, virtute tamen sua omnia & nos gubernare, adesseque semper ipsum omnibus qui eum diligunt, propterea dicebat: Amen amen dico vobis, vbicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam quemadmodum, quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat; & angelorum consortia non relinquebat, eodem nunc modo quum sit in cœlis cum carne, terram tamen replet, & cum eis est, qui eum diligunt. Obseruandum autem est, quia quamuis secundum carnem solummodo abiturus erat (adest enim semper virtute deitatis, vt diximus) modico tamen tempore cum discipulis se futurum dicebat: aperte seipsum nominás, ne quis in duos filios diuidere Christum audeat: sed vt vnum omnino esse credat Dei patris & virginis filium: non quia vna na-

tura sit, sed quia post incarnationem pia hæc diuisio non est. Vnus enim in vtraque natura Christus est. Porro cum Christum maiestate sua præsentem adesse scribunt Patres, eamque præsentiam maiestatis corporali præsentiæ opponant, maiestatis nomine nõ intelligunt quãdam cõmunicatam maiestatem, aliam à maiestate Verbi, qua corpus Christi realiter & substantialiter vbique præsens fiat, sed hoc nomine ipsam diuinitatem intelligunt, quæ essentialiter præsens vbique adest, id autem non obscure conficitur, cum ex his locis quæ adscripsi, tum etiam ex Vigilij, Fulgentij & aliorum Patrũ scriptis, vbi humanitas, & diuinitas, caro & Deitas, corpus & maiestas inter se opponuntur quoties de præsentia Christi agitur, vt secundùm aliud præsens, secundùm aliud absens dicatur.

Patres loquuntur de substantia diuinitatis.

Cur autem Christus humanitatis suæ præsentiam mundo subtraxerit, ipse seruator explicat Ioannis 16. Et ego (inquit) veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam, nisi enim abiero consolator ille non veniet ad vos: sin autem profectus fuero, mittã eum ad vos. Christus venit in hunc mundum ac verbum carnem assumpsit, vt in carne obiret munus Messiæ, & pro nobis pateretur ac moreretur, atque ita mortem destrueret: sed non tantum

Cur Christus non adsit carne sua substantialiter.

hoc Messiæ munus fuit, sed vt nos in ipsos cœlos reduceret, & coram ipso Patre collocaret. Noster enim Pontifex non in manufacta sanctuaria ingressus est, nec in exemplaria verorum sed in ipsum cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis. Itaque quum sit primitiæ generis nostri, in cœlum cum carne ascendit, & nos coram patre cõstituit, atq; ad perfectam dispẽsationem carnis assumptę pertinebat, vt peractis omnibus quæ in his terris facienda fuerãt ad Patrem ascenderet, & carnem quasi pignus & arrhabonẽ nostræ resurrectionis in cœlis deponeret, vt Tertullianus scribit. Ascendens autem in altum ablata carne sua, dona misit ecclesiæ, spiritum consolatorẽ quem hic promisit. Poterat quidẽ etiam in his terris manẽs Spiritum sanctum largiri, neq; Deitate cœlo aberat cũ corpore nondum illuc cõscendisset, sed fideles nimium carnali præsentiæ addictiminus apti fuissent ad accipiendum Spiritum sanctum: atq; hoc testatur Augustinus qui sic scri-
" bit, Semper quidem nobiscum est diuinitate
" sua sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper
" eius corpus carnaliter videremus, & nunquã
" spiritualiter crederemus. Cyrillus in Ioannem
" lib. II. cap. 21. Putabant discipuli absentiam
" Christi, vt hominis dico (Deus enim vbique
" adest) multorum eis incommodorum causam

futuram:

futuram: cum non adesset, qui ab omnibus eos possit malis eruere. Sed oportebat (Dicam enim etiã si luminaria orbis postea facti sunt,) non solum in carnem Christi, verum etiam in Deitatem respicere: quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate. Nec quicquam est quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit, peragat: Non enim loco aut dimensionibus circumscriptibilis natura diuina est. Quare cum Deus & homo Christus verè sit, oportuit eos intellexisse, ineffabili Deitatis potestate vna cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. Idcirco enim ipse quoque in superioribus dicebat: Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Aperte significans Deitatis ratione, non carnis præsentia eos posse seruari, &c. Item alibi, Nihil ergo mali vobis accidere potest ait, si carne abfuero: quum Deitatis meæ potestas, quæ vos hucusque seruauit, in posterum etiam seruatura sit. Hæc non ideo dicimus, quia Domini corpus non magni æstimemus: sed quia mirabiles hos effectus, glorię Dei attribuendos putamus. D. item Augustinus Tract. 94. super Ioannem: Quid est ergo, Si non abiero? Paracletus non veniet ad vos? nisi non potestis capere spiritum, quam diu secundum carnem persistitis

Christus Deitatis præsentia saluat.

nosse Christum. Scholastici etiam Theologi complures rationes afferunt, cur vtile fuerit Christum secundum carnem à terris discedere, quas ego nunc commemorare nolo. Hoc tantum rogo vt cõsiderent singuli, primum quot superstitiones pepererit falsa opinio carnalis præsentiæ, & quam horrendæ artolatriæ causa fuerit: deinde quod ipsi Scholastici scribũt, absentiam corporalem Christi seruire augmẽto fidei nostræ, & præterea spem nostram confirmare, nempe cum caput nostrum in cœlis regnet, fore vt nos quoq; illuc recipiamur, iuxta Christi promissionem: In domo patris mei mansiones multæ sunt, alioquin dixissem vobis, abeo autem paraturus vobis locum, & cũ profectus fuero & parauero vobis locum, rursus veniam & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego & vos sitis. Ab his multum dissentiunt qui carnalem Christi præsentiam vnicã quodammodo fidei & spei nostræ anchoram faciunt. Scio equidem desiderari ab omnibus corporalem Christi præsentiam, quam Paulus etiam vitę suę præponebat, vt Cyrillus scribit: cupiens dissolui & esse cum Christo. Sed non statim idipsum nobis vtilissimum est quod auidissime appetimus. Itaq; diuinæ voluntati hic acquiescendum est, & ita statuendum de Christi præsentia prout in verbo suo docuit.

Alter

Alter præſétiæ modus eſt,quo corpus Chri
ſti ſeu humanitas eius præſens nobis eſt virtu-
te,gloria &maieſtate operationeque,quamuis
interea eſſentia ipſius vno duntaxat loco re-
ipſa & actu contineatur. Chriſtus enim caput
eſt Eccleſiæ,rex,Dominus,mediator & iudex
noſter ſecundum vtranq, naturam. Itaque ſua
ἐνεργείᾳ qua gubernat Eccleſiam totus præſens
nobis eſt, adeoque cogitationes cordium no-
ſtrorũ ſcit & iudicat,&hac ratione ad dexterã
Patris conſediſſe in cœlis dicitur. Ad hanc au-
tem præſentiam ἐνεργητικὴν non requiritur rea-
lis & eſſentialis & corporalis & localis præſen
tia humanitatis Chriſti, id quod etiam Cyril-
lus affirmat, qui inquit,Credere oportet fide- "
les,quamuis corpore ſuo abſit Chriſtus,virtu- "
te tamen ſua omnia & nos gubernare, adeſſe- "
que ſemper ipſum omnibus qui eum diligũt, "
propterea dicebat,Amen dico vobis, vbicun- "
que ſunt duo vel tres congregati in nomine "
meo,ibi ſum in medio ipſorum. Nam quemad "
modum quando vt homo in terra conuerſaba "
tur,tunc etiam cœlos implebat,& angelorum "
conſortia non relinquebat:eodem nunc modo "
quum ſit in cœlis cum carne,terram tamen re "
plet & cum ijs eſt qui eum diligunt. Obſeruan "
dum eſt autem,quia quamuis ſeccnudum car- "
nem tantum abiturus erat (adeſt enim ſemper "

„ virtute Deitatis vt diximus) modico tamen tempore se cum discipulis futurum dicebat, apertè seipsum nominans, ne quis in duos filios Christum diuidere auderet, sed vt vnum omnino esse quisque credat, non quod vna sit natura, sed quia vnus in vtraq; natura est Christus. In his verbis Cyrillus apertè docet gubernationem Christi non fieri carnis eius præsentia, sed cum carne absentem Deitatis virtute adesse. Adest autem Deitatis virtute non vt verbum absque carne, sed vt Deus verbum incarnatum, itaque hæc gubernatio ad humanitatem eius quoque pertinet, quatenus Christus diuinitate sua essentialiter vbiq; præsens, Christus inquam, hoc est, Deus & homo, omnia sciente & volente mente humana gubernat & administrat. Quoniam verò Christus ita gubernat omnia, vt omnia etiam illi sint præsentia, dicitur per anastrophen omnibus rebus etiam secundum humanitatem præsens esse. Animæ enim Christi quæ Verbo vnita est omnia pręsentia sunt, non quod ipsa humanitas singulis rebus substantialiter pręsens sit, sed quod illi propter lumen diuinitatis omnia sint in verbo præsentia, cui vnita, cuncta cernat vt in Deo sunt, & illi sunt præsentia. Atq; de hac præsentia multa acute à Scholasticis disputantur, qui tamen communiter omnes

concludunt, humanam naturam nihilominus finitam manere, neque vbique esse, neque omnipotentem esse.

Ea etiam est coniunctio Christi capitis nobiscum, vt nos simus caro ex carnibus eius & os ex ossibus eius. Hæc autem coniunctio non constat contactu aut præsentia aliqua corporali, aut aliqua locorum coniūctione, sed caro Christi reddimur dum in eum credimus, & mortem illius in pretium pro nobis persolutam fide comprehendimus, ita enim carnes nostræ, postquam sumus regenerati, eiusdem sunt naturæ cum carnibus Christi, earundem proprietatum, & ab eo vera vita donantur, & motu & gratia & spiritu. Donum autem hoc vitæ & sustentationis ad nos fluit & defertur per carnē Christi nostra causa in crucē & mortē traditā, atq; ita caro sumus de carne Christi, non solum quo ad animū nostrum, verum etiā quo ad corpus, quoniā istud capax fit beatæ resurrectionis & æternę vitę, atq; instauratur ad inseruiendū spiritui, per gratiam & vim quę à diuinitate Christi per eius corpus ad nos deriuatur: vim enim istam qua renascimur vt siamus caro ex carne Christi, à Deo per Christi carnem habemus vt pro nobis in pretium & mortē data est. Porro quia in Baptismo Christū induimus, Chrysostomus scripsit eandē il-

Coniunctio capitis Christi cum membris.

Iam communicationem carnis Chriſti etiam in Baptiſmo fieri, ac Pauli verba exponit ad hunc modum: Et quomodo? Iterũ audi quid beatus iſte dicat ad Hebr. 2. Quoniam pueri commertium habuerunt cum carne & ſangui-
" ne, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorun-
" dem: ſed hic ipſe nobiſcum commercium tra-
" xit, non nos cum illo. Quomodo ergo ex car-
" ne eius & ex oſſibus eius ſumus? Sunt qui per
" ſanguinem dicant & aquam. Verum nihil eſt.
" Sed quemadmodum ille ſine virili congreſſu
" natus eſt ex Spiritu ſancto, ita & nos illud efficimur in lauacro. Vide quanta exempla adducat vt generationi illi fidem faciat. Ex hac interpretatione Chryſoſtomi conficitur carnem Chriſti credentibus communicari ſpiritualiter, & energia ſua præſentem eſſe, abſque reali & ſubſtantiali ipſius præſentia: niſi fortè velit quis carnem & ſanguinem atque oſſa Chriſti, realiter cum aqua in Baptiſmo coniungere.

Corpore abſens præſens gratia.

Adeſt etiam Chriſtus præſens humanitate ſua per gratiam, vt tamen corpore interim abſens ſit, vnde Emiſſenus in ſermone de corpo-
" re & ſanguine Domini ſcribit: Chriſtum quia
" corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis
" noſtris, & ſyderibus illaturus, ſacramentum
" corporis & ſanguinis ſui conſecraſſe, vt cole-

retur

retur iugiter per myſterium quod ſemel offe- " "
rebatur in pretium, vt quia quotidiana & inde " "
feſſa currebat pro hominis ſalute redemptio, " "
perpetua eſſet eius redemptionis oblatio, & pe- " "
rennis illa victima viueret in memoria, & ſem " "
per præſens eſſet in gratia.

Præterea eſt etiam fidei præſentia qua noſtri dicunt, Chriſtum in cœna nobis corpore ſuo præſentem eſſe. Fides enim vera tantæ eſt efficaciæ, vt res præſentes conſtituat non quidem realiter ſed ſpiritualiter, eas enim per fidem ita complectimur ac ſi eſſent ante oculos. Etenim ſi ea vis eſt ſenſuũ noſtrorum, vt oculi cœlum & ſolem & aſtra, quoties illa cernimus præſentia nobis efficiát: & cogitatio quoque res præteritas aut remotas præſentes quodam modo ſtatuat, cur non concederemus eandem vim & efficaciam fidei datam eſſe, vt etiá ea quæ longe abſunt conſtituat prǫſentia, non quidem ſubſtantialiter, ſed ſpiritualiter? Præſertim cum fides omnem humanam notitiam longe ſuperet, vtpote cuius efficacia poteſtas eſt diuini ſpiritus, quæ efficit vt ea quæ credimus, potentius atque euidentius adſint animis noſtris, quàm quæ mentis tantum vi & acumine reuocãtur ſub aſpectum. Neq; hic fides rerum veritatem immutat, vt ea quæ futura aut præterita ſunt, neget eſſe talia, aut quę

Præſentia fidei.

realiter abſentia ſunt, realiter præſentia faciat, ſed eadem fide, qua perſuaſum eſt res, quoad ſubſtantiam abeſſe, res ipſæ per ſpiritum, dum fides in illarum meditatione verſatur, præſentes nobis fiunt. Si enim quæ cogitatione complectimur vel oculis cernimus, nobis ſunt præſentia, multo magis ea præſentia ſunt, quę fide cernuntur, cum fidei efficacia ſenſus omnes longe ſuperet. Atq; ita res eadem & abſens eſt & præſens, alio atque alio modo. Hoc modo Chriſtus ait, Abrahamum vidiſſe diem ſuum, & ita etiam Prophetæ Chriſtum viderunt: etſi enim Chriſtus, quod ad carnem attinet, venturus erat, tamen illis tum per fidem quodam modo erat præſens, neque enim quicquam videri poteſt, quod non aliquo modo adſit videnti præſens. Tanta autem erat Prophetarum fidei certitudo, vt res futuras quodammodo haberent præſentes, & ſic in conſpectu, vt ſæpe non loquuti ſint verbis futuri temporis, quamuis alioquin de rebus futuris, ſed pro illis vſurparint, aut præſens tempus, aut etiam præteritum. Et ſanè quamuis Abrahamus & corpore & tempore longè abeſſet ab illis rebus, quæ poſtea gerendæ erant per Chriſtum, eas tamen haud dubiè præſentes habuit per ſpiritum. Similiter alij patres in veteri Teſtamento fide ſua Chriſtum in carne verè apprehende-

henderunt, vnde etiam Apoſtolus illis tribuit præſentiam earum rerum, quas nos hodie percipimus in myſterijs, ait enim eos comediſſe eandem eſcam, & bibiſſe eundem potum ſpiritualem. Neue dubites eos comediſſe eandem eſcam, & bibiſſe potum eundem nobiſcum, addit: Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. De Galatis ſcribit Paulus: Chriſtum ante oculos eorum fuiſſe crucifixum. Prædicatione enim Euangelij, quam fide amplexi fuerant, Chriſtus ita animis illorum impreſſus fuerat, vt hac notitia, quam fide comparatam habebant, Chriſtum quodammodo præſentem & ob oculos mentis propoſitum haberent. Sic idem Apoſtolus ſcribit: Nos iam ſedere ad dexterã Dei in cœleſtibus, & nos iam ſpe ſaluos eſſe. Nam vt Chryſoſtomus ſcribit in vndecimum caput ad Hebræos: Ea quæ ſunt in ſpe ſine ſubſtantia eſſe putantur, ſed fides eis tribuit ſubſtantiam, magis autem eis non tribuit, ſed ipſa eſt ſubſtantia eorum vt puta, nec dum reſurrectio facta eſt, & nec dum eſt in ſubſtantia, ſed ſpes facit eam ſubſiſtere in anima noſtra, hoc eſt, quod dixit ſubſtantia. Quod ſi fides aut ſpes, quæ hoc loco pro eadem re ſumuntur, poteſt rebus quæ nodum ſint, dare ſubſtantiam, quanto probabilius eſt eam poſſe efficere, vt

corpus Christi quod iam existit & habet substantiam, spiritualiter subsistat in anima nostra? Dicuntur autem res quæ fide nobis præsentes sunt, spiritualiter præsentes esse, quoniã fides charisma est spirituale, & animus noster quo res illas complectimur, est spiritus: res autem quæ alicubi suscipitur, modum suum habet ab eo, à quo suscipitur. Sic quæ sensu recipiuntur dicimus adesse sensibiliter, & quæ recipiuntur animo & spiritu, dicimus adesse spiritualiter. Itaq; cum Christum dicimus spiritualiter præsentem esse, non dicimus carnem Christi conuersam in spiritum, aut solũ spiritum intelligimus, aut carnem Christi hac voce excludimus, sed ostendimus Christum fide & spiritu à nobis apprehendi & percipi.

Præsens Christus in Verbo.

Præterea præsens est Christus in verbo & Sacramentis, Verbum enim Dei Christum nobis proponit, docet & offert, & ideo etiam dicitur prædicatio Euangelij esse sermo salutis, quod in se Christum, qui vita & salus nostra est, contineat, non quidem essentiali & corporea præsentia, sed significatione, quam cũ Spiritus sanctus reddit efficacem in animis auditorum, affertur illis certa salus. Simili modo Sacramenta Christum nobis offerunt, nam sunt visibile verbum Dei, & Christus ipse est corpus & substantia Sacramentorũ omnium, ideoq;

Sacramentalis præsentia.

ideoq; etiam ſymbola corpus Chriſti contine re dicuntur, quòd illud denotent, oſtendant, ſignificent. Et modum hunc præſentiæ aliquando ſpirituaël eſſe dicimus, reſpicientes ad modum ſupra expoſitum, aliquando per myſterium, typum, ſymbolum, ſignum, figuram, ſignificationem, Sacramentalem hanc præſentiam explicamus, reſpicientes coniunctionem ſigni cum re ſignata. Cæterum aliam eſſe rei ipſius præſentiam, & aliud eſſe in Sacraméto tantum præſens eſſe, hinc apparet, quod fideles qui in Chriſto ſunt & in quibus Chriſtus eſt, in cœna Domini verum corpus & ſanguinẽ Chriſti manducant, ſpiritualiter tamen per fidem. Hypocritæ autem fide in Chriſtum carentes, tantum ipſum Sacramentum ſeu Sacramentotenus Chriſtum edere & bibere dicuntur, qua diſtinctione aliquoties D. Auguſtinus vtitur, & in celebri illa Berengarij confeſsione dicitur corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſenſualiter manducari in veritate, non ſolùm Sacramentũ ſeu in Sacramento. Citantur etiam in Decretis aliquę huius generis ſententiæ, veluti Auguſtini in Sermone de verbis Euangelij: Quid eſt Chriſtum " manducare? Non hoc ſolùm eſt in Sacramen- " to corpus eius accipere, multi enim indigne " accipiunt, de quibus ait Apoſtolus: Qui man- "

" ducat & bibit calicem Domini indignè, iudi-
" ciũ sibi manducat & bibit. Sed quomodo man
" ducandus est Christus? Quomodo ipse dixit:
" Qui enim manducat carnem meá & bibit san
" guinem meũ, manet in me, & ego in illo. Item
" alibi: Caro eius est quam sub forma panis o-
" pertam in Sacramento accipimus. Aberrant autem à sententia Veterum, qui existimant i-dé esse in mysterio aut in Sacramento præsens esse & sumi corpus Christi, atq; realiter & substantialiter cum pane & vino idem pręsens esse. Veteres enim sumi in Sacramento ad symbola retulerunt, vbi symbolum seu Sacramentum sumitur, non autem res ipsa Sacramenti quod est corpus Christi. Sic August. Tract. 26. super Ioanne inquit: Participatione filij quod
" est per vnitatem corporis & sanguinis Chri-
" sti, homo manducans viuit, non sumens tantũ
" in Sacramento quod mali faciunt, sed vsq; ad
" spiritus participationem, vt in corpore Do-
" mini tanquam membrum maneat & eius spi-
" ritu vegetetur. Hic dicit impios in Sacramento manducare corpus & sanguinem Christi. Alibi negat impios hæc manducare, sed tantũ Sacramentum, non rem Sacramenti; quod est corpus Christi, percipere. Itaq; in Sacramento edere corpus Christi, idem est atq; signum corporis Christi sumere. Sic cũ inquit: Quod

in Sa-

in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa ve- "
ritate spiritualiter manducatur & bibitur. In "
Sacramento sumere est rei ipsius Sacramentũ accipere, id enim visibiliter sumitur. Eodem modo Christus præsens est in Sacramento, quod ea symbolia & signa Christũ nobis significant, neq; tamen nuda & inanis est horum significatio, sed diuini spiritus efficacia res ipsæ significatæ fidei nostræ præsentes statuuntur. Neq; præsentia ἐνεργητικὴ à Sacramentali separanda est, sed distinguenda.

Personalis præsentia.

Postremò dicitur corpus Christi personaliter vbique esse: etsi autem hæc loquendi forma non ex scripturis, neque ex Veteris Ecclesiæ consuetudine, sed ex Scholastica Theologia deprompta est, & admodum est impropria, vt humana natura, quæ non est persona, personaliter adesse dicatur, tamen hunc quoque præsentiæ modum sano intellectu non reijcimus. Quod scilicet humanitas vbique est, quia persona Christi, cuius humana natura est pars quædam, vbique est: Vel humana natura vbique est personaliter, quia humana natura non in se subsistit, sed in verbo: illa autem persona, à qua sustentatur, vbique præsens est. Christus enim qui diuinitate sua vbique præsens est, cum aliquid agit, vbi corpore præsens non adest, veluti cum curauit ser-

uum Centurionis, non solùm vt Deus, sed vt persona Deus & homo existens præsens ægroto fuit eumque sanauit. Itaque corpus Christi re ipsa & essentia sua absens ab eo loco vbi æger decumbebat, personaliter præsens ægro fuit, hoc est, persona cuius corpus hoc erat, præsens ei fuit; non secundum essentiam quidem corporis, sed essentiæ diuinæ. Sic etiam Lazaro morienti Bethaniæ personaliter adfuit corpore suo Christus, quanquam reuera corpore Bethaniæ non esset: ait enim gaudere se propter discipulos, quod ibi non fuerit, dicit etiam Euangelista eum adhuc biduum in eodem loco trans Iordanem videlicet commoratum fuisse, postquam Lazari sorores, ægrotare fratrem ei nunciassent: cognouit autem mortuum esse, & morienti procul dubio adfuit, eidem rursus non adfuit. Adfuit diuinitate sua, non adfuit corpore seu humanitate. Eadem autē adfuisse personaliter dici potest, quia non ita morienti adfuit ac si vnigenitus Dei Filius tantum esset: sed vt Christus, vt qui non Deus tantum, sed homo etiam esset. Neque quia humanitate sua abfuit, ideo homo non adfuisse dicetur, humanitas enim Christi (vt sæpe dictum est) nusquam per se & in se, sed in verbi persona subsistit. Itaque illa per se homo non nominatur, sed hoc nomen personæ est, quæ
etiam

etiam Deus in vna eademque indiuisa persona est. Quemadmodum autem Deus dicitur personaliter crucifixus, mortuus & sepultus, quia persona quæ passa hoc fuit, non vt homo tantum, sed vt homo & Deus passa fuit, licet secundum humanam naturam tantum, cum diuinitas per se & se in & secundum essentiam suam pati non posit: sic etiam dicimus hominem Christum esse omnipræsentem personaliter, quamuis hoc humanæ naturæ per se & secundũ essentiam minime congruat, sed quia persona Christus vbiq; est præsens, quæ non Deus tantũ, sed simul etiam homo est. Quamuis enim vbiq; sit secundum alteram solum naturam, nempe diuinam, de toto id Christo atque etiam de humana natura dicitur: nam diuina natura quæ vbique est, non vt natura diuina tantummodo, sed vt persona ex hac & humana constans natura, vbique est. Etsi autem hoc modo tolerabiliter dici potest, corpus Christi aut humanitatem eius personaliter vbique esse, phrasis tamen hæc est inusitata & impropria. Natura enim humana etsi non minus perfecta est in Christo, quàm in nobis, tamen in ipso non est persona sed natura, propterea quod antequam susciperetur à diuina non fuit, nec in se ipsa vnquã substitit, & ne hodie quidem subsistit, sed à diuina sustentatur,

Sicut Deus passus, ita homo vbiq; præsens.

rectius autem dicitur hominem Christũ personaliter esse vbique, cum hominis nomen in concreto totam personam significet.

Præsentia hæc est per Com. Idiomat.

Porro hanc præsentiæ rationem nostri cũ Veteribus interpretantur per communicationem proprietatum, ita enim cum Christus loqueretur in terra, dixit Filium hominis esse in cœlo, & id tribuit humanitati suæ quod propriè conueniebat diuinitati. Falsum autem est quod quidam obijciunt, Petrum aut Paulum, aut quemuis alium sanctorum simili modo posse nobis præsentem dici, propterea quod diuinitas quæ in illis inhabitat nobis præsens sit. Nam vt supra ostendimus, longe alia ratione diuinitas in assumpta carne habitat, vbi vna est persona verbi & carnis, atque in cæteris sanctis hominibus, in quibus cum diuinitas & humanitas non conuenerint in vnam ὑπόστασιν, non potest diuinitate præsente, per communionem idiomatum aut Synechdochen de illis dici, quod ipsi præsentes sint. Neque verò existimandum est, rem nihili esse & inane tantum nomen tribui Christo, quando dicimus, Christum hominem siue etiam eius humanitatem personaliter seu per communicationem idiomatum præsentem esse. Nam hæc communicatio idiomatum nobis vnitatem personæ indicat seu identitatem hypostaseos,

dia. Ex hac autem oritur illa præſentia ſalutifera & viuifica ἐνεργητικὴ qua totus Chriſtus nobis maieſtate, virtute, operatione, gratia & ſpiritu ſuo adeſt, nos gubernat, regit, fouet & viuificat.

Sed aduerſarij noſtri perſonalis præſentiæ nomine aliter vtuntur, nam perſonali hac præſentia contendunt corpus Chriſti eſſentialiter præſens fieri, ita vt in cœna vere, reipſa & naturaliter ore corporeo recipiatur, atq; effuſione quadam donorum Spiritus ſancti volunt humanitati Chriſti eam diuinitatem & maieſtatem communicatam eſſe, vt vbique non minus quàm diuinitas præſens ſit. Atque cum multa olim craſſe admodum de Vbiquitate corporis Chriſti ſcripſerint & diſputarint, exiſtimant multi ipſos, vt mederentur abſurditati, quæ omnibus iam manifeſta erat, ad latebras has perſonalis præſentiæ & duplicis eſſentiæ eſſentialis & perſonalis confugere voluiſſe. Atque cum hactenus ſemper noſtris obiecerint ipſos vti philoſophicis rationibus, ipſi nunc totam quodammodo Philoſophiam ne dicam ſophiſticen Theologiæ miſcent, & in Eccleſiam inuehunt inuſitatum loquendi genus. Alia illis eſt eſſentia corporis Chriſti naturalis aut glorioſi, alia eſt eiuſdem eſſentia perſonalis. Et Chriſtus præſens eſt huma-

Aduerſarij aliter vtuntur nomine perſon præſentiæ.

Philoſophiam miſcent theologiæ.

nitate sua essentialiter, sed non naturaliter, aut
corporaliter, aut localiter, sed personaliter,
quasi per accidens. Christus item illis est om-
nipræsens, omnipotens, omniscius non ὁμωνύ-
μως nec συνωνύμως, sed ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν. Etsi autem hæc
& multa alia huius generis hactenus inusitata
fuerunt in purioribus Theologorum scholis,
ferri tamẽ possent si in scholis disceptandi cau
sa tantum proposita fuissent, si non absurdas e-
tiam interpretationes alicubi adhiberent dis-
sentientes à Scholasticorum sententia, à qui-
bus pleraq; mutuati sunt, si non etiam omnes
qui aliter sentiunt & loquũtur, è numero Chri
stianorum eijcerent. Nunc verò quando nos
cum veteri Ecclesia negamus substantialem o-
mnipræsentiam corporis Christi, sed dicimus
Christum substantia corporis sui nunc à ter-
ris absentem cœlo cõtineri, diuinitate autem
sua vbiq; præsentem esse: Fatemur autẽ Chri-
stum ἐνεργητικῇ præsentia, quamuis corpore ab
sentem, nobis tamen nihilominus secundum
vtranq; naturam præsentem esse, quòd ipse sit
caput ecclesiæ, summus pontifex, mediator, in
tercessor, rex & iudex quoq; totius orbis, ideo
que perpetuò adest Ecclesiæ suæ, eam colligit,
dcet, sustentat, viuificat sua membra, potẽter
oprotegit & liberat, suaq; gratia consolatur &
fouet, adhæc agnoscimus illi omnia præsentia

esse, & ideo per anastrophen ipsum posse dici vbiq; præsentem. Fide preterea ipsum spiritualiter nobis presentem esse docemus: postremo assentimur Christum hominem personaliter, sed non naturaliter aut corporaliter vbiq; presentem esse, hoc est, vt ipsi Scholastici interpretantur, quôd homo Christus vbique est, sed non iuxta humanam, verùm iuxta diuinam naturam. Tamen hæc omnia non sufficiunt aduersarijs. Accusamur nihilominus quod omnem præsentiam Christi secundum humanam naturam negemus: quod eum omnimodo à cœna absentem statuamus: quod ecclesiæ caput suum præsens esse negemus; pios Mediatore suo spoliemus: Christum dicamus humanitate sua nullo modo nobis adesse, neque quicquam nobiscum agere. Atqui hæc est manifesta & atrox calumnia, cum diserte toties testati simus, nos tantum negare carnis eius substantialem & corporalem præsentiam, quę etiam non potest non localis esse, quam aduersarij ipsi improbant, & pugnat cum ascensione Christi & veritate humanæ naturæ.

Falsò nos accusari, quod Christum spoliare conemur sua diuinitate & potentia, & nihil amplius quam Machumetani illi tribuamus.

Vbiquistæ dudum accusati crimen suum in nos regerunt.

Initio tristis illius controuersiæ Sacramentariæ cum quidam Vbiquitatē corporis Christi asserere iam tum inciperent, Zuinglius magno iudicio & singulari gratia discernendorum spirituum præditus, cœpit monere Ecclesiam, vt sibi ab hoc dogmate caueat, quod id resipiat errorem Martionis, & spectat ad abolendam veritatem humanæ naturę in Christo Seruatore nostro. Postea verò cum Brentius & Andreas Vbiquitatem hanc nouis coloribus fucatam denuo Ecclesiæ obtrudere conati sunt, ibi rursus viri complures doctissimi, atque inter hos præcipui, Martyr, Bullingerus & Beza, ostenderunt ab ipsis veteres errores renouari. Nam quod ad conuentum & vnionem naturarum attinet, ad Nestorianam hæresin ipsos accedere, quantum verò ad realem communicationem & transfusionem proprietatum, & exæquationem humanitatis cum diuinitate, in eo prorsus Eutychianos esse. Has accusationes vt grauissimas, ita etiam verissimas cum illi ferre non possent, vt sese horum criminum suspicione liberarēt, eadem nostris impingere cœperunt, non dissimiles hac in re furi cuidam nundinario, qui cũ rebus alterius furto ablatis in magna hominum turba fuga se subduceret, altero insequente & clamante: Tenete furem: ipse quoq; clamabat furem tenendum

nendum esse, quasi insons à crimine alterum furti arcesseret: Simili modo nouæ huius Vbiquitatis authores, vt se ipsos crimine liberent, omnium pene αἱρέσεων suspicione nostras Ecclesias grauare conantur. Porro cum de incarnatione Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi, non aliam doctrinam proponamus in Ecclesijs nostris ab illa quam quæ ex sacris literis deprópta, & in veteri Ecclesia perpetuo consensu tradita est, in qua & cæteri prętер Vbiquistas Augustanæ confessionis sectatores, & præterea etiam Papistæ absque vlla controuersia inter se hactenus consenserunt, tamen illis omissis nos præcipuè inuadűt: quia enim perpetuis calumnijs Zuinglianorum nomen apud vulgus exosum reddiderunt, existimant sibi liberum esse quiduis de illis fingere, præsertim cum diligenter ante cauerint, vt omnis defensionis locus illis pręcludatur. Etsi autem Iacobo Andreæ non incognita est doctrina Ecclesiarum nostrarum, tamen nõ veretur etiam contra suam ipsius conscientiam huiusmodi putidissima mẽdacia de nobis spargere. Itaque cum nullę quantumuis iustæ defensiones apud huiusmodi homines locum habere possint, apud reliquos verò qui moderato ingenio præditi absque præiudicio nostrorum scripta legunt, non longa defensione opus sit,

ego quoque in hoc loco non diu immorabor, ſed tantum quaſi prætereundo falſitatem huiuſmodi criminationum notabo.

Accuſatio Andreæ cõtra nos.

Eſt igitur hæc ipſius accuſatio: Negare nos Chriſtum hominem omnipotentem eſſe, ideoque etiam eiuſdem diuinitatem, omneſque ſimul articulos fidei negare, atq; nihil plus Chriſto tribuere, quam illi Machumetus in ſuo Alcorano tribuit. Grauis meherçule accuſatio & omnium atrociſsima, quæ nobis intendi poſſit, quæ ſi vera eſſet, meritò ab omni ſocietate Chriſtianorum hominũ excludendi & arcendi eſſemus: quod ſi falſa eſt, vti facile nos demonſtraturos ſperamus, quid ſentiendum eſt de his, qui huiuſmodi calumnijs & horrendis criminationibus inſontes Eccleſias opprimere conantur? Sed quia nos Chriſtum hominem omnipotentem eſſe, & Deum eſſe negare aiunt, de eo primum agamus quomodo Deus ſit, neque enim aliter omnipotens, aliter Deus eſt. Hominis autẽ nomine ſi ipſam perſonam intelligimus, fatemur ex animo & ſyncerè credimus, Ieſum Chriſtum ex Maria virgine natum, ab æterno verè & eſſentia Deum eſſe, & vnigenitum Dei Filium. Si autem loquuntur de humanitate aſſumpta à Deo Verbo, dicimus eam creaturam noſtræ naturæ conſubſtantialem eſſe, non autem eſſentia aut diui-

Quomodo homo Deus

nitatis communicatione in se Deum esse, non magis quàm humanitas est diuinitas. Et quomodo humanitas in se esset Deus, cum ipsa in se non habeat propriam subsistētiam? Et quod homo est, hoc est rationabilis indiuidua & incommunicabilis substantia, hoc in Deo Verbo habet, in cuius persona subsistit & à qua sustentatur. Itaq; cum dicitur homo esse Deus, subiectum de quo dicitur Deus, est ipsa Filij persona in qua Christus homo subsistit. Quòd si qui hominis nomine intelligunt ipsam humanitatem, & quærunt quomodo homo ille sit Deus, non vnione sed in se communicata Deitate, hi humanę naturæ aliā à Verbo personam tribuunt, & Christum diuidunt. Similiter qui Christum seruatorem duplici diuinitate Deum faciunt, vna naturali per essentiam, altera communicata per gratiam, qua humanitas Christi peculiari quadam participatione Deitatis Deus sit, hi omnino cum Nestorio Christū in duas personas diuidunt: alia enim erit diuinæ naturæ persona, quæ natura Deus est: alia hominis persona, quæ sit communicatione & participatione gratiæ Deus, atque ita etiam erunt duo filij, alter secundum diuinitatem & naturā, alter Deificata humanitate per gratiam, & item Maria Dei genitrix dicetur, quod hominem pepererit, qui secundum com

municatas diuinæ naturæ proprietates Deus dicatur. At longe aliter Cyrillus & reliqui Veterum qui Nestorianum errorem confutarũt, docuere, qui ideo sanctam Virginem Dei genitricem nominarunt, quòd Deus Verbum, qui ante secula ex patre natus est, in vltimis diebus ex ipsa incarnatus & natus est: Verbum enim cum secundum naturam Deus esset, semen Abrahæ assumpsit & caro factũ est, nulla quidem essentiæ suæ conuersione, alteratione aut commixtione, confusione & temperatura cum carne, sed ita vnitum est carni animam rationalem habenti, vt vnus sit Dei ac patris filius Dominus noster Iesus Christus. Sicut igitur Dei genitrix dicitur propter Deum verbum assumpta carne natum, sic etiam Christus homo verè Deus est Verbi deitate, sicut Augustinus inquit: In assumptione formæ serui à forma & persona Dei vtrunque Deus est, sed per assumentem Deum, sicut vtrunque homo est, sed per acceptũ hominem.

In defensione Anathemat. I.

Lib. I. de Trinitate.

Atque in hanc sententiam Veteres omnes Christum hominem Deum esse docuerunt, atque inter alios Cassianus (quem Vbiquistæ & Schuencfeldiani falsò sibi patrocinari arbitrantur) septem libris de incarnatione Domini aduersus Nestorium scriptis, vbi hoc vnice contendit, Iesum conceptũ ex Spiritu sancto &

Cassianus quomodo Christum Deum asserat.

cto &

sto & natum ex Maria virgine, quem videre discipuli & palpauere, verum Deum esse, neque tamen vsquam meminit vllius communicatæ deitatis, qua hic homo Deus sit, sed hoc vbique vrget, Christum antequam in carne nasceretur Deum fuisse & Dei filium, & carne assumpta vnum esse Dei filiũ, ideoq; hominem Deum esse, per ipsum cui vnitus erat, Dei verbum. Vnde lib.5. Ergo (inquit) euidentissimum est, quod ambo Dominum Iesum Christum & hominem manifestarũt & Deum, quia eundem postea hominẽ quem semper Deum, ac per hoc hominem et Deum, quia hominem ipsum Deũ: Iesum Christum (inquit) manifestatum esse à prophetis & Euangelistis hominem, quem scilicet viderint & palparint, & qui homo etiam nominetur aperte in scripturis. Item Deum, qui in principio semper fuerit, & Deus excelsus ab illis nominatur: ideo autem eundem hominem & Deum esse, quia qui semper fuit Deus Verbũ, postea homo factus est, & per hoc homo & Deus, vt scilicet iam incarnatione facta verbum assumpta carne homo sit, & ita vnus & idẽ Christus, homo sit & Deus: idque quia homo ipse Deus, hoc est, non alius est homo, alius Deus, sed vnus & idem vtrumque. Homo enim ipse ex Virgine natus ita vnitus est Deo Verbo, vt in illo subsistat, qua-

re paulò poſt Caſſianus hanc vnitatem adhuc clarius exprimit, Idem (inquit) Ieſus heri & hodie, id eſt: idem ante exordium mundi, qui in carne: idem in præterito, qui in præſenti: idem quoque etiam in ſecula: quia idem per omnia qui ante omnia. Et hoc totum Dominus Ieſus Chriſtus. Et quomodo idem ante mundi ortum, qui nuper ortus? ſcilicet quia idem in homine nuper ortus, qui ante ortum omnium Deus. Et ideo Chriſtus totum nominatur quod Deus: quia tanta eſt Chriſti & Dei vnitas, vt nemo vtiq; iam omnino poſsit vel Chriſtum dicens, non Deum in Chriſti nomine dicere: vel Deum dicens, non Chriſtum in Dei nomine nuncupare. Ac ſic vnito ſibi penitus per maieſtatem ſacræ natiuitatis vtriuſq; ſubſtantiæ Sacramento, quicquid erat: ſcilicet homo & Deus, factum eſt totum Deus. Item alibi Dei & Chriſti inſeparabilem inquit eſſe ſubſtantiam, quòd ſcilicet vna ſit perſona inſeparabilis, inter Deum & Chriſtum nullam eſſe diſtantiam: item per vnitatem ineffabilem nullam eſſe diſtantiam inter Chriſtum & verbum: item Dei filium vnum verè & ſemper omnia geſſiſſe quæ ſunt hominis, & quæ ſunt Dei: item quicquid eſt homo & Deus, totum penitus nominatur Deus indiſcreta vnius nominis maieſtate, quia vnitus eſt cum homine

Deus:

Deus: multæque huius generis locutiones apud hunc authorem occurrunt, quibus explicat inseparabilem personæ vnitatem, cuius ratione homo Deus dicitur. Loca etiam scripturæ, in quibus quæ vnius naturæ sunt alteri in concreto tribuuntur, aut vbi vnius naturæ nomine tota persona significatur, docet interpretanda esse per synechdochen. Postremo in fine 7. libri, Veterum testimonia quàm plura adducit, in quibus etiam hominem Christum Deum esse asseritur, sed nō alia ratione, quam quod vnus & idem sit Dominus noster Iesus Christus, Deus verus ex Deo vero & ante secula natus & postea homo genitus.

Nos quoque non aliam fidem habemus de Domino & seruatore nostro Iesu Christo, sed cum D. Petro eum qui est hominis filius apertè confitemur esse filium Dei viui: & cum D. Paulo hunc qui ex semine Dauid natus est secundum carnem, credimus esse Deum, & quidem Deum super omnia benedictum: Et cum D. Thoma eum qui vulneratus, crucifixus & mortuus, vera palpabili & aspectabili forma à mortuis resurrexit, Dominum & Deum nostrum esse clamamus: agnoscimus enim in eo qui crucifixus est, omnem plenitudinem Deitatis inhabitare σωματικῶς, & vnum atque eundē esse, qui in forma Dei, hoc est verus Deus

Nostra confessio.

existés, assũpsit formá serui, Verbũ enim quod caro factum est, erat apud Deum & erat Deus.

Communicata deitate humanitas non fit Deus aut omnipotēs aut adoranda.

Quod si aliqui hac simplici confessione Apostolica non contenti, existimant in ipsa carne Christi quandam communicatam Deitatem, aliam à Deitate Verbi, qua illud Patri & Spiritui sancto consubstantiale est, quærendam esse, caueant, ne, quod maximum piaculum est & Antichristi opus, Iesum Christum soluant, & nobis pro vero Deo hominem diuinum aut deificatum adorandum proponant. Nam æternæ & infinitæ Deitatis ea est ratio, vt non possit transfundi in creaturam, sic vt illa fiat Deus: effusio enim donorũ non efficit, vt ea creatura, cui dona Dei communicata sunt, Deus sit: Erit quidem diuina, ornata donis diuinitatis, sed non propterea Deus. Ideoque etiam non adoranda, manet enim fixum illud: Iehouam Deum tuum adorabis. Quæ quidem adorationis ratio in Christo nobis optimè cõstat, quando eundem qui homo est, scimus verè & natura Deum esse, ideòque omnipotentem & inspectorem cordium nostrorum, neque alibi vsquam hominem à Deo separamus: & vt humanitati quæ à diuinitate suscepta est, non tribuimus peculiarem deitatem: Ita etiam non illi in se tribuimus quod sit adoranda, quod sit omnipotens,

quod

quod præsentissimè adsit & corda scrutetur. Si enim hæc humanæ naturæ in sese tribuantur, vt transfusa à diuinitate in humanam naturam in ipsa tanquam in suo subiecto inhæreant, simul quoque (vt supra diximus) tribuitur sua hypostasis separata humanitate, & Christus soluitur, & duo fiunt Dij & filij, natura alter, alter gratia: & sequitur vel hominem hunc non adorandum esse, vel aliquem adorandum esse qui natura non sit Deus. Qui igitur diuinitatis & adorationis & omnipotentiæ rationem in ipsa humana Christi natura quærunt, & hominem hunc per naturam humanitatis suæ Deum omnipotentem & adorandum esse volunt, non intelligunt quomodo Christus verè sit homo: Christus enim, quod sæpe dictum est, non per se aut seorsim, sed in ipsa omnipotentis Verbi persona est homo. Humanitas enim in Christo non est homo, etiamsi integra sit vt in cæteris hominibus, sed persona Verbi vnitam in se habet et subsistentem humanitatem, cui mysterio nihil simile in alijs hominibus cogitari potest. Persona Christi soluitur.

Porrò quod aduersarij quærunt: An humanitas Christi cum omnipotentia diuina nullam reipsa communionem habeat: Ob die mēschlich natur mit der Allmechtigē Gottheit nichts mit der thaat gmein habe/ Ambi

munionem habeat cum omnip. Verbi.

guum eſt: Nam per communionem intelligi poteſt communio perſonalis, quod ſcilicet humana natura ab ea perſona aſſumpta eſt & in illa ſuſtentatur, quæ Deus eſt & omnipotens, atque hæc communio dici forte poteſt realis, quoniam vnio naturarum vera eſt & ineffabilis, & ea quæ naturarum ſunt propria, reipſa ſunt huic perſonæ communia, ſed quæ diuina ſunt, in natura Dei Verbi, & quæ humana in ipſa humanitate. Atque ita dicimus humanam naturam communionem habere omnipotentiæ, ſicut & Deitatis: ſicut enim humana natura non in ſe eſt Deus vel diuinitas, ſed homo eſt Deus: ſic etiam in ſe non eſt omnipotens, ſed pars perſonæ omnipotentis: Liceat enim nobis exemplo Veterum naturas in Chriſto partes perſonę illius nominare. Rurſus quę de reali communicatione omnipotentiæ propoſita ſunt ab aduerſarijs, intelligi poſſunt de reali transfuſione, quaſi diuina natura ſuam omnipotentiam transfuderit in humanam, ſic vt Chriſtus homo, quatenus homo ſeu ſecundum humanam naturam, ſit omnipotẽs dono & communicatione factus: hanc communionem nos negamus. Quoniam vt ſupra oſtendimus, realis illa transfuſio proprietatum prorſus Eutychiana eſt, & veritatem humanæ naturæ in Chriſto abolet. Neque tamen pro-

ptεrea

pterea accusandi sumus quod Christum impo tentem hominem faciamus, nam quod nos do cemus, docent Sacræ literæ, & has eodem mo do quo & nos Lutherus interpretatus est, cu- ius authoritas ab aduersarijs reijci non potest, quando omnium Patrum authoritati à pleris- que eorum præponitur: Is autem in 7. cap. Da nielis ita scribit: Ab eo momento quo diuini- tas & humanitas in vnam personã vnitæ sunt, homo Mariæ filius est, ac nominatur omnipo tens, æternus Deus, qui æternam potestatem habet, omniaque creauit & conseruat, per communicationē idiomatων: propterea quod vna est cum diuinitate persona & verus etiam Deus: & de hoc loquitur Matth. 21. Omnia mi mihi data sunt à patre: & Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Lo- qui autem hic Lutherum eodem modo de cõ- munione idiomatum, quo nos docemus, non de reali illa communione nuper conficta, in- de apparet, quod hac communicatione Chri- sto homini æternam potestatem & omnium rerum creationem tribuit. Longe autem cla- rius alibi inquit: Intempestiuam narrationem quidam hic afferunt, dicentes, Filius nescit, id est, noluit scire. Quid enim opus istis commen tis? Christus verus homo fuit, quare vt alius puer, sed sanctus homo, non quolibet tem-

Lutherus negat Christũ quoad humanam naturã omnipotentem nisi per cõmun. idiomatum.

N

„ pore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia,
„ ſicut imperiti quidam omnipotentē in eo ho-
„ minem faciunt, permiſcentes duas naturas, at-
„ que opera earum parum prudenter. Sicut e-
„ nim non quolibet tempore omnia vidit, audi-
„ uit atq; ſenſit, ita etiam corde non omnia ſem-
„ per agnouit, ſed quantum illum duxit ac do-
„ cuit Dominus. Scholaſtici etiam de omnipo-
li.1.di.14. tentia humanæ naturæ in Chriſto ſic ſcribūt:
„ Homini Chriſto attribuitur omnipotentia
„ per communicationem idiomatum, ſicut cęte-
„ ræ proprietates diuinæ: ſed de humana natu-
„ ra in Chriſto quæ eſt creatura, reſpondetur
„ breuiter, quod omnipotentia nulli creaturæ
communicari poteſt. Si igitur Turcę ſunt qui
humanitatem Chriſti ſeu humanam naturam
omnipotentem eſſe negant, age Lutherum
primum damnet, deinde Scholaſticos ſcripto-
res, ad quos tamen cum ipſi libet, Iacobus An-
dreæ prouocat, & multa ab illis de myſterio
Trinitatis & vnionis perſonalis pie & erudite
ſcripta, aſſerit.

Impudens calumnia aduerſar. At inquit: Zuingliani non plus tribuunt fi-
lio Mariæ quàm Turcæ. Alcoranus enim Tur-
cicus huic tribuit quod Deus illi animam ſuā
dederit, eumque omnibus prophetis excel-
lentiorem fecerit, negat tamen eum omnipo-
tentem eſſe: non plus autem (inquit) Andreas

Zuin-

Zuingliani Christo tribuunt. Hoc verò falsissimum est: ac mirum profecto est hominem Theologum adeo omnem pudorem exuisse, vt non dubitet publice ea de nobis affirmare, de quibus mendacij & calumniæ eum arguunt non tantum nostrorum scripta & conciones, sed propria ipsius quoque absque dubio conscientia: neque enim ignorat quæ sit nostra fides & confessio de Iesu Christo Dei & Mariæ filio, & quam hæc nihil habeat commune cum Alcorano. Num enim Alcoranus docet Iesum esse Deum & seruatoré nostrum Dei filium? Vbi verò Alcoranus meminit illius ineffabilis mysterij, quod Verbum caro factum est & Deus homo natus seu Deus manifestatus in carne? Sed quid ego hanc comparationem ingredior, cum totum genus doctrinæ diuersum sit? Neque enim vllum caput nostræ doctrinæ Iacobus Andreæ proferre poterit, in quo à Catholica Ecclesia dissentientes cum Alcorano congruamus. At (inquit) Alcoranum adimere Christo homini omnipotentiam, idem autem nos quoque facere. Sæpe iam dixi nos nunquam negasse neque etiam negare Christum hominem esse omnipotentem, nisi hominis nomen pro abstracto ponatur, tum enim cum Veteribus Christum hominem hoc est, quatenus homo est, seu huma

nam eius naturam in se & reipsa non esse omnipotentem asserimus. Sed hoc illud est quod ante dixi & deinceps repetendum erit, illi ipsi qui nobis Machumetanismi crimen impingunt, verè Nestoriani sunt, quorum error primus ad Machumetanismum gradus est: humanam nanque naturam in Christo vt per se subsistentem considerant; ideóque vt propriam personam illi tribuunt, non autem tantum à Verbo eam sustentari agnoscunt, ita quoque propriam illi omnipotentiam & Deitatem affingunt: atque vt illis non satis est hominem hunc in verbo subsistere: ita illis etiam non satis est hominem hunc in verbi natura omnipotentem esse. Nam si non extra Verbi personam hominem hunc cōsiderarent, sicut etiam Machumetani faciunt, facile viderent nos hoc ipso, quòd aliam quàm Machumetani subsistendi rationem huic homini tribuimus, prorsus ab illis discrepare. Etsi enim illi Iesum Mariæ filium nominant, quia tamen hunc non agnoscunt Dei filium & vnum atque eundem in eadem persona hominem & Deum, non magis eundem Christum nobiscum profitentur, quàm eundem Deum creatorem cœli & terræ, qui illis neque pater neque filius neque Spiritus sanctus est, sed est figmentū cordis eorum, vnde etiam veteres anathema dixe-

runt

runt Deo Machometis holoſphyro.

Quod autem obijciunt nobis improbos nebulones qui vel prorſus ad Turcas defecerunt, vel Samoſatenicos furores Turcicis affines in Polonia & Tranſyluania ſpargunt, hos dicentes à nobis egreſſos eſſe, atque inde conſtare nos alere ſemina Turcicæ doctrinæ: argumentum eſt admodum futile. An non enim primi illi hæretici ex Apoſtolica Eccleſia egreſsi ſunt? de quibus Apoſtolus inquit: Egreſsi ſunt ex nobis, ſed non fuerunt ex nobis. Poſſem multos nominatim commemorare qui ab aduerſarijs noſtris ad Papiſtas defecerunt, num verò inde conficere licet ipſorum doctrinam eſſe Papiſticam? præſertim cum nõ pauca proferri poſsint in quibus cum Papiſtis conſentiunt. Certũ eſt Antitrinitarios, & qui blaſphemas opiniones de Christo in Polonia, Tranſyluania & alibi diſſeminarunt, omnes ex Serueti ſchola prodijſſe, Seruetus autem nunquam fuit membrum noſtrarum Eccleſiarum, ſed ab initio cum ſua impia dogmata in lucem proferre conaretur noſtrarum Eccleſiarum miniſtri conſtantiſſimè ſe illi oppoſuerunt, & quæ poſtea fuerint cum magiſtratuum politicorum, tum etiã miniſtrorum Eccleſiæ de Seruetana doctrina iudicia, ex horũ libris & illorum rebus geſtis vniuerſo orbi

Antitrinitarij.

Aduersarij confirmant errores Antitrinit.

notum est. Vtinam verò illi, qui nobis iniustè imputant Antitrinitariorum furores, non ipsi eosdem suis nouis figmentis, & inusitatis interpretationibus locorum scripturæ confirmarent. Nam in Transyluania de Christi hominis diuinitate & quomodo Deus sit, ita docent: Deum censeri paternæ diuinitatis inhabitatione, participationeque, communicata illi virtute, diuinitate, & miraculorum potestate: ita enim scribunt in libello de Mediatoris Iesu Christi hominis diuinitate æqualitateque, edito Albæ Iuliæ, 1568. & ibidem has rationes afferũt, cur homo Christus sit Deus: Primò quod sit proprius Dei filius conceptus de spiritu Dei in vtero virginis. Deinde quia dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen. Quod omnis plenitudo diuinitatis in illo corporaliter inhabitat. Itẽ, Quia illi data fuit omnis potestas in cœlo & in terra, &c. His admodum affinia sunt, quæ Iacobus Andreæ scribit, qui enumeratis locis scripturæ quibus dicitur Christo data omnis potestas, & collocatum ad dexteram patris, & omnia subiecta pedibus eius, & in ipso habitare omnem plenitudinem, subijcit: Hæc sunt testimo-
„ nia illustria, quæ docent, cur homo Christus
„ dicatur Deus, non quia Deus sit in ipso (qui in
„ omnibus creaturis est non modò natura, sed

etiam

etiam secundum subsistentias, sicut supra de- "
monstratum est) sed quia in assumptione car- "
nis dedit huic homini omnem potestatem in "
cœlo & in terra, ornauit eum omniscientia & "
sapientia, communicauit ei omnia dona Spi- "
ritus sancti, collocauit eum super omnẽ prin- "
cipatum, dedit ei nomen super omne nomen, "
quod nomẽ est Dei nomẽ. Et hoc est hominẽ "
quoq; esse Deũ. Rursus Franciscus Dauidis in opere cõtra Petri Carolini librũ locũ Pauli ad Philip. In ipso inhabitat plenitudo deitatis cor poraliter, sic interpretatur: Vocabulũ corpus "
opponitur vmbris veteris Testamenti, in qui- "
bus ex parte ac sub vmbris virtus deitatis splẽ "
duit & emicuit, & explicatur ad Heb. 10. quod "
significet, non in parabolis vel exemplis, sed re "
ipsa. Plenitudo Deitatis accipitur pro donis di "
uinis quibus Christus exædificatus est sine defe "
ctu, vt omnes nos ex ipsius sapientia participa "
remus & impleremur: significat plenaria Dei "
dona quæ ex parte etiam fidelibus dantur. Cõ feratur cum hac interpretatione Vbiquitaria huius loci interpretatio, expendãtur etiam alia loca scripturarum quæ de Deitate Christi loquuntur, inueniemus Vbiquistas cum Antitrinitarijs vbique ferè consentire, quod hæc de humana natura Christi & illi communicata Deitate interpretantur. Etsi autem Vbi-

quistę in eo ab Antitrinitarijs dissentiũt quod λόγον ὑποστάτικον agnoscunt qui carnem humanã assumpserit, facile tamen apparet quantum eorum causam iuuent, quando hæc fundamenta illorum confirmant, nempe scripturam hic non loqui de æterna & vera Deitate, sed quadam communicata, item Deitatem esse communicabilę homini. Equidem melius de illis spero quàm vt existimem ipsos tam horendis furoribus Seruetanorum patrocinari velle, interim cum immerito nos illis cõiungant, non potui nec debui præterire quin ostenderem ipsos Seruetanorum fundamenta ex parte substruere: neq; in hanc tantum partem peccant, sed dum nimio contendendi studio doctrinã de incarnatione filij Dei suo arbitratu fingunt atque refingunt, quàm plurimos errores Veterum dudum damnatos renouant, sicuti deinceps ostendemus.

Vbiquistæ suis dogmatibus Nestorianam & Eutychianam atq; alias his cognatas hæreses renouant.

Etsi sæpe antea nostri copiose & perspicue demonstrarunt, quæ sit cognatio nouæ huius doctrinæ Vbiquisticæ cum Veteribus dudum damnatis heresibus tamen arbitror non

molo-

molestum fore Lectori, si quod in alijs partibus huius tractationis feci, breuem summam eorum, quæ ab alijs fusius tradita sunt, hic repetam. Nam cum ipsos non pudeat eosdem errores repetere & renouare, nos quoque non pigere, nec pudere debet, Ecclesiam subinde de his erroribus admonere, & indicare instans periculum, ne incauti aliqui & simplices seducantur.

Error Patripassianorum.

Initio igitur doctrinam eorũ de vnione personali, quam per transfusionem aut communicationem realem omnium donorum & proprietatum diuinæ naturæ definiunt, dicimus ad Sabellianam & Patripassianorum hæresin accedere. Communicatio enim donorum ex æquo ad omnes personas Trinitatis pertinet: ac quod Andreas dicit aliam esse ingenitam patris, aliam genitã Filij, aliam procedentem Spiritus sancti sapientiam & potentiam, agnoscimus quidem personas ita distingui inter se, at vbi de communicatione agitur, communis est operatio trium personarum. Itaque sequitur vt communicatio hæc communis est tribus personis, ita etiam vnionem seu assumptionem carnis communem illis esse, & sic passionem & mortem non tantum ad Filij, sed etiam ad Patris & Spiritus sancti personas pertinere.

Nestoriana dogmata.

Deinde vnio illa quod eadem inhabitatio sit filij Dei in filio hominis, quæ & in cæteris sanctis, sed solum hoc differat, quod alijs certa tantum & finita dona, huic autem omnem suā potentiam communicet, prorsus Nestoriana est, & nominatim damnatur à B. Cyrillo Anathematismo 5. In quo constanter asserit Deum Verbum aliter habitare in assumpta carne atque in cæteris sanctis. Nam cum reprehensores Cyrilli, Christum dixissent Deiferū hominē, sed qui non particularem quandā gratiam acceperit, sed omnem vnitam habeat filij Deitatem, reijcit id Cyrillus, & docet longe aliud esse Verbum factum esse hominem, quàm habitare in homine. Idem etiam sensisse D. Augustinum supra docuimus. Iam quod Brentius
" scribit de Petri miraculis: Et edidit hæc mira-
" cula potentia diuina, eaque non longe absen-
" ti, sed omnino intime præsenti, non igitur ne
" hac quidem ratione discrimen est inter Chri-
" stum & Petrum. Item quod de resurrectione
" addit: Sicut Christus excitatus est diuina vir-
" tute, ita resurget etiam Petrus diuina virtute,
" eaque non absenti, sed omnino præsenti, nec
" minus ipsi quàm Christo intime præsenti, ea-
" que tota præsenti, quod vbicunque est diui-
" nitas, ibi sit tota, cum Verbum seu λόγος non minus sua essentia, potentia & presentia habitet in

tet in Petro quam in homine Christo. Hęc inquam omnia Nestoriana sunt, & cum septimo & nono Anathematismo Cyrilli pugnant. Petrus & alij sancti in Spiritu sancto miracula operati sunt, qui tamen alij ab ipso fuerūt, quod si Christus & Petrus eodem modo miracula operati sunt, oportet in Christo quoque virtutem spiritus operantem aliam ab ipso fuisse, quod vt Nestorianum damnat Cyrillus, ac inter alia inquit: Itaq; vnus & solus Christus Iesus, quasi per organa corporis sui operatus est diuina signa, & non operandi virtutem habuisse eum dicimus secundum similitudinem sanctorum. Præterea ita loquuntur Vbiquistæ vt vix ipse Nestorius alijs locutionibus quæ apertius personas separarent, vsus fuerit (si modo de illo iudicium faciendum est ex fragmentis concionum eius & epistolis, quæ Ephesino Cocilio coniuncta habentur, veluti cum dicunt, Aeternum Dei filium habitare in filio hominis, quem ex Maria virgine assumpsit. Item, Filium Dei implere sua essentia Filium hominis, quem assumpsit: item Christum hominem æquè ac Christum Deum vbique præsentem esse: Christum hominem omnia facere velle, ac posse, quæ Christus Deus vult facit ac potest: quasi scilicet alius sit filius Dei, alius filius hominis, alius Chri-

Phrases Nestorianæ.

ſtus Deus, alius Chriſtus homo: & non potius vnus & idem Dei & hominis filius, Deus & homo. Atque etiam apertius quaſi de duobus filijs loquūtur, dicentes: Hominem Chriſtum vnam perſonam factum cum filio Dei participatione proprietatū filij Dei. Item hominem Chriſtum parem maieſtatem cū filio Dei habere: Nam in huiuſmodi locutionibus connumeratione videtur indicari perſonarum multitudo & ſeparatio. Ac præpoſitio Cum à Patribus in abſtracto quidem vſurpatur, ſed eodem modo in concreto adhibita, duas perſonas coniugere videtur. Huiuſmodi autem locutionibus pleni ſunt Vbiquiſtarum libri, qui neſcio quo conſilio abſque vllo diſcrimine vocibus abſtractis & concretis eodem modo vtuntur. Item quod ſcribunt diuinitatem realiter cōmunicare humanitati perſonam, prorſus Neſtorianum eſt. Sicut enim ſuæ communicationis realis ratione aliam ſtatuunt diuinitatem hominis Chriſti, communicatam illi ab eſſentiali & æterna diuinitate verbi: ita etiam eiuſdem ratione illos ſtatuere oportet aliam cōmunicatam perſonam hominis Chriſti à perſona verbi, atq; ita duæ erunt perſonæ Chriſtus homo, & Chriſtus Deus, quæ eſt ipſiſsima Neſtorij hæreſis. Neque refert quod deinde communicatione proprietatum & harum ex-

Duæ perſonæ.

rum ex-

tum exæquatione vnam personam faciunt, namq; etiam Nestorius idem faciebat, docens hác adunationis rationem, quod homini huic donata esset à Deo æqualitas dignitatis siue authoritatis, & vt simili appellatione Christus & Filius dicatur & Dominus, sicut Cyrillus scribit cap. 27. lib. de Incarnatione. Præterea pro Trinitate quaternitatem in diuinitate statuunt, si enim humana natura in Christo cum municata diuinitate & transfusione donorū Deus facta est, atque alia hæc est communicata diuinitas ab æterna Deitate verbi, oportet vt quartam personam faciant Christum hominem Deum secundum humanam naturam. Si mul etiam duplicem Deitatem faciunt eamq; inæqualem. Et tale quid innuit Marpachius, qui proprietates & opera diuinitatis, & nomē atque honorem Iehouæ, inquit nemini conuenire, nisi Trinitati, aut huic qui Trinitati personaliter coniunctus sit, & in ea contineatur. Atque hæc disiunctiua propositio fundamentum est omnium illius argumentorum, quibus nos crasso volumine dudum edito pro sternere voluit, & tamen nusquam hanc probat, sed quasi pro confesso sumit. Vbi ego hoc quæro à Domino superintendente, vtrum de persona, an de natura loquatur? Si enim loquitur de natura, proprietates & opera, nomen

Quaternitas.

men & honor sanctæ Trinitatis soli diuinæ naturæ conueniunt, quod si vult hæc ad creatitiam naturam transferri posse, ostendat id, vt omnes videant eum Arianorum & Seruetanorum nostræ ætatis furoribus viam sternere. Quod si de persona loquitur, rursus etiam hac disiunctione non erat opus, nam si aliam personam Trinitati connumerare vult, quaternitaté facit, si de æterna verbi persona loquitur, non opus erat disiunctione, cum Christus nõ sit coniunctus Trinitati, sed vnus ex Trinitate. Neq; nos Christum hominem Trinitate excludimus, nam illa persona quæ est Christus homo, non est creata aut finita persona, sed æterna persona Dei verbi, hæc assumptione carnis non est mutata, neque noua aliqua persona trinitati accessit. Videtur autem opinione sua Marpachius inclinare ad eorum errorem qui stulto metu ne statueretur quaternitas propter carnis assumptionem, docuerunt carnem verbo consubstantialem fuisse, quorum errorem grauiter confutauit Athanasius.

Adoratio Christi.

Præterea veram Christi adorationem euertunt, nam cũ sit immota regula: Nemini adorationem deberi, nisi qui sit natura Deus, ideo que ecclesia Christum, vt verum Deũ & consubstantialem Patri filium inuocarit, naturas in eo nõ separans, sed ad ipsam personam eius æter-

æternam adorationem dirigens, iſti nouá adorationis rationem inſtituunt, docentes humanitatem Chriſti illa transfuſione proprietatũ diuinitatis accepiſſe, vt Deus ſit & adoretur. Et cum dicunt Chriſtum hominem adorandum eſſe, non loquuntur veterum more, vt hominis nomine totum Chriſtum intelligant, ſed hominis nomen pro humana natura accipiunt, oſtendunt autem ſe cum Neſtorio eſſe ἀνθρωπολάτρας, humana enim natura nulla tranſfuſione mutatur in diuinam, & homo communicatione donorum non fit Deus, ſed homo diuinus. Nos verò ſicut Epheſina Synodus docuit, vna adoratione Emanuelem honoramus, ſicut & in vnum Chriſtum baptizati ſumus. & in vnum Chriſtum credimus, & adoramus incarnatum Dei verbum cum ſua carne, quemadmodum etiam anima cum ſuo corpore honoratur: qui verò ſeparatim in humana natura adorationis cauſas quærunt, illi omnino duos Chriſtos faciunt.

Atq; hactenus quidem Vbiquitaria doctrina Neſtorianæ hæreſi ſuffragatur, cęteris in rebus Eutychio errori affinis eſt. Quáuis enim hæreſes iſtæ contrariæ fuerint, tamen ſi partes inter ſe conferantur, eſt quædam conſenſio. Nam & Neſtoriani cum Eutychianis vnam in Chriſto voluntatem & operationem ſtatue

Eutychiana dogmata.

Actione 18 runt, vt in sexta Synodo scribitur, sed tamen connexione affectus vnam. Et rursus Gelasius Eutychianos accusat quod in quibusdam Nestorianizent. Et Seuerus à Iustiniano vtriusq; erroris causa damnatus fuit. Itaque non debet cuiquam mirum videri, quod nos quoq; Vbiquistas contrariarũ hæresum reos peragimus.

Diuinitatē esse passibilem in Christo.

Porrò inter Eutychiana dogmata hoc vnum est: diuinam naturam quæ alioquin per se impassibilis est, in Christo factam passibilem. Etsi enim Iacobus Andreæ nusquam se dicat inuenisse hunc errorem attributum Eutycheti; tamen certum est hæc de Eutychianis scribere Theodoretum & Vigilium. Et Cedrenus item historicus illorum dogmata recensens inquit: Τῇ θεότητι πάθος ἀνατιθέασι. De ipso quoq; Eutychete Leo Papa refert, eum tertium dogma Apollinaris amplexum fuisse, Deitatem conuersam in carnem animamque. Quam autem huic Eutychiano errori affinia sint hæc Vbiquistarum dicta: Christum secundum vtranq; naturam pro nobis passum esse: diuinam naturam in Christo passionis & mortis suo modo participem factam esse: humanæ naturæ passionem in ipsam diuinitatem redundasse; moderato & pio Lectori expendendum relinquimus.

Proprietates humani corporis sublatas.

Deinde Eutychiani non tantum damnati sunt, quod humanitatem in Christo abole-

abolerent: cum enim non ita crasse loqueren-
tur, verùm confiterentur Christum humanũ
corpus habere, sed eius proprietates abiecisse,
vt molem corporis, colorem, &c. nihilominus
hoc ipso nomine damnati sunt in posteriori-
bus Synodis quę Chalcedonicã sequutę sunt.
Rectè enim censuit sexta Synodus, eos natu-
ras tollere qui proprietates naturarum tollũt:
neque dubitauit Euphemius Antiochenus E-
piscopus palàm in eo conuentu dicere, peius
& deterius esse docere Christi carnem dimi-
nutam in suis proprietatibus & imperfectam,
quàm eandem penitus nõ existere. Vt autem
appareat quæ fuerit Eutychianorum senten-
tia, apponam huc Theodori Pharanitani Epi-
scopi verba damnata in eadem Synodo actio-
ne 13. Nostra quidem anima nõ habet insitum
talis esse virtutis, vt & naturales corporis pro-
prietates ab ea & à semet expellat: sed neque
dominari in tantum apparuit rationalis ani-
ma ipsius proprij corporis, vt etiam quæ circa
hoc sunt, huicq; sunt insita, id est, molem, flu-
xumq; & colorem contineat, atque citra hoc
vnquam constituat. Quæ omnia in dispensa-
tione Christi Saluatoris nostri, & conscripta,
& facta sunt in illo diuino & viuifico corpore.
Etenim absq; mole, & (vt ita dicatur) incorpo-

rabiliter absq; direptione de vulua processit, & sepulchro etiam, vt &, tanquam super pauimentum, supra mare ambularet. Quid verò

Brentius. Vbiquistæ sentiunt? Aliquando quidem profitentur se retinere in Christo saluas proprietates humanæ naturæ, sed proprietatum nomine ipsam naturę substantiam intelligunt, ita vt relicta tantum prima essentia proprietas naturæ videatur mansisse, interea humanæ Christi naturæ omnes proprietates diuinitatis tribuunt, quas illa saluis suis proprietatibus habere non potest, vt supra ostendimus. Deinde è numero creaturarum humanitatem Christi eximũt, ita enim argumentatur Parsimonius: Extra creaturas nihil est nisi Deus, Humanitas Christi est extracreaturas. Exiuit enim è mundo, hoc est, extra omnes creaturas in regno suo in quo fuit antequam esset vlla creatura. Ergo necesse est humanitatẽ Christi esse quod Deus est. Alij etiam scribunt corpus Christi alia habere priuilegia, exemptum fuisse carnalibus legibus & omnia humana transcendisse: itẽ proprietates humanæ naturæ, quales sunt videri, tangi, loco circũscribi, per resurrectionẽ suam

Segebadius. deposuisse. Atq; vt ostendãt humani corporis proprietates non conuenire corpori Christi, obijciunt, corpus hoc super mare ambulasse &

clausis

clausis ostijs ingressum esse, & alia huius generis, quæ etiam veteres Eutychiani in argumentum afferebant. Etsi auté supra ad hæc responderimus; tamen non pigebit hoc loco etiá Euphemij responsionem è sexta Synodo subijcere: Dicito inquit, nobis ô tu ab omni aduersitate synceram custodiens mentem tuam. Erat aliquando tempus ab incarnatione, quãdo incarnatus verbum Deus non habuit perfectam suam animatã carnem, aut quia pedester ibat super fluctus maris, non conseruabant pedes proprietatem humanæ naturæ? sed optimè in natura humana vltra naturá operabatur Christus Deus noster, & non perempta vel extincta humana propria sui carne, saltem ipsius operationis effigies suadeat tibi confiteri, quod caro in propria natura permansit. Nam ambulare & pedibus super mare, nisi secundũ phantasiam fiebat, liquet quod pedum est operatio ipsius naturæ nostræ, & vtiq; ipsa species operationis, exclamat in pristinis mensuris carnem fuisse seruatam, & huiusmodi gressum omnes corporalem & sensibilem dicunt: ambulare autem super mare hoc, Deitatis erat per humanam carnem operantis.

Postremò inter damnata Eutychianorum dogmata hoc quoq; numeratur, vnam esse in

Vna actio in Christo. Resp 1. contra Bezam Pag. 28.

Christo voluntatem & actionem. Iacobus autem Andreæ scribit, Ratione vnionis personalis vnam esse actionem λόγου & hominis assumpti, vt λόγος sine homine assumpto nihil nobiscũ agat; sed omnia cum ipso & per ipsum. Neq; verò ipsum ab errore Monothelitarum liberat quod ratione vnionis personalis vnam actionem ponit, nam & ratione vnionis personalis vnam tantum voluntatem hi asserebant. Vnam voluntatem affirmantes (vt Paulus Constantinopolitanus Monothelita scribit) ne aduersitatem vel differentiam voluntatum introducerent, & ita duos volentes: neq; enim se hac ratione voluisse vel naturas confundere, vel alteram abolere, sed dicto hoc insinuantes inquit, quod eius rationaliter ac intellectualiter animata caro ex ipsa principali vnitione ineffabiliter quæque diuina sunt locupletata eam sibi vniente secundum subsistentiam verbo, ipsam diuinam possidebat, & non differentem voluntatem. Porrò quod addit λόγον sine assumpta humanitate nihil nobiscum agere, sed omnia cum ipsa, non improbamus, quoniam vtraque natura operatur cum alterius communione hoc quod proprium habuit: sed quod addit per humanitatem assumptam omnia facere λόγον, nescio an cum veteris Ec-

Synodo 6. Actio. 13.

An λόγος omnia per carnem operetur.

ris Ecclesiæ doctrina consentiat. Cyrillus scribit λόγον vsum tanquam instrumento propria carne ad opera carnis & infirmitates naturales quæque à vitio longe sunt: anima verò sua ad humanas & inuituperabiles ægrimonias. Anastasius autem Antiochenus ita de Christi energijs statuit, vnam quidem esse diuinam miraculorum effectricem, eorum præsertim quæ absque sacrosanctæ illius carnis contactu edita fuerunt, vt sanatio filiæ Chananeæ, & filij Centurionis, tabernaculi disruptio, solis defectus, petrarum diffisio, mortuorum resurrectio, quæ omnia sacrosancto Christi corpore mortuo in cruce pendente, neque horum quicquam attingente, sola Dei verbi energia diuina operata est. Alteram esse humanam energiam, puram, sanctam, incontaminatam à Deo creatam atq; datam, eandemq; viuificã. Tertio esse communem vtriq; naturæ energiã eam, quæ vtriq; naturæ conuenienter cõgruenterq; seu communi vtriusque naturæ opera formatur: cuiusmodi illa fuit, visus per sputũ restitutio, filiæ principis synagogæ à mortuis excitatio, quæ sanctæ ipsius manus contactu facta est, &c. Similia scribunt alij è veteribus, neque absolute vsquã affirmant λόγον OMNIA per humanitatem assumptam operatum esse.

Quod si dicant sessione ad dexteram in hanc maiestatem euectum λόγον, ea tamen nihilominus illi tribuenda erit mox ab ipsa Incarnatione seu vnione personali (quam ipsi non distinguunt à sessione ad dexteram) quod tamen nusquam veteres docuerunt.

Martionistarum hæresis.

Postremo doctrina hæc realis communicationis veterem Martionis & Manichæorum errorem, per cuniculos in Ecclesiam introducere conatur, qui negarunt Christum verum & naturale hominis corpus habuisse, atque ea quæ hominum more fecerit & passus sit, solum phantasma quoddam fuisse. Nam si humana natura statim ab ipsa vnione personali reipsa omnes diuinitatis proprietates accepit, neque amplius eiusdem nobiscum naturæ mansit, sequitur Christum non fuisse verè aspectabilem & palpabilem, neque etiam verè, vel de loco in locum ambulasse, vel comedisse aut dormiuisse, esurijsse, lassum fuisse, passum denique, crucifixum & mortuum esse, sed hæc omnia tantum fuisse quædam sensuum & oculorum ludibria. Neque aduersarios excusat, quod aiunt, corpus Christi semper habuisse huiusmodi diuinas proprietates, sed non semper exeruisse. Etenim dispensatio quam hic fingunt, parum admodum à Ma-

nichaico

nichaico phantaſmate differt. Si enim humana Chriſti natura tempore exinanitionis reipſa prædita fuit diuinis proprietatibus, gloria & maieſtate, oportet vt humanas infirmitates non verè & reipſa in ſe habuerit & ſenſerit. Itaque omnes humanas actiones & paſſiones tantum hominum opinione ſuſtinuit. Aut ſi verè & reipſa hæc ſuſtinuit, tum vna & eadem natura eodem tempore verè & reipſa infirmitati obnoxia fuit, & ſimul non fuit: fuit viſibilis & inuiſibilis, mortalis & immortalis, circumſcripta in vtero Virginis, ſed ſimul implens vniuerſum orbem, eodem tempore mortua iacebat in ſepulchro, & ſimul viua, atque vbique præſens gubernabat vniuerſum orbem. Hæc & alia huius generis quæ aperte ſibi contradicunt, quantumuis aduerſarij conciliare conentur, nunquam tamen illo modo maieſtatis efficient, vt hæc de humana Chriſti natura eiusque ſubſtantia ſimul verè & reipſa dici poſsint, ſed omnino ſtatuitur phantaſticum quoddam corpus, non veram formam & figuram habens, neque verè ea faciens quæ facere videtur, ſed tantum extranea & apparente forma pro noſtro captu ſeſe in hac humilitate oſtendens. Atque hæc portentoſa & horribilia auditu ſunt pijs

mentibus, sed cum plæraque ipsi Vbiquistæ asserere non dubitent, cætera verò ex eorum doctrina manifesta & necessaria consecutione conficiantur, necesse est vt de his pios homines admoneamus. Valde enim metuendum est, nisi seriò his malis occurratur, fore tandem vt hæc Martionitica, Nestoriana & Eutychiana dogmata in Machumetanismum desinant, præsertim cum Vbiquistæ Seruetanis, Machumeto viam sternentibus, tot argumenta suppeditent. Atque hæc nostra querela longe iustior est quàm illorum qua falsissimè de nobis spargunt, Zuinglianos homini Christo non plus tribuere, quàm illi Machumetus in suo Alcorano tribuat. Vereor etiam ne plures quoque articuli fidei nostræ breui ab ijsdem hominibus in cotrouersiam vocentur, & nominatim resurrectio carnis nostræ, quam in symbolo Apostolico nos credere profitemur. Nisi enim nobis maneat veritas carnis humanæ salua in Christo Seruatore nostro, resurrectio quoque carnis nostræ integra nobis constare non poterit. Extant etiam quorundam de hac re scripta, quæ propendere videntur in Origenis opinionem dudum à veteribus damnatam. Sed ego hæc lubens prætereo, neque enim velim no-

nas controuersias temere mouere, tantum voluí monere eos qui huiusmodi audiunt, vt nō statim talia dicta, quæ in quodā contentionis feruore fortè temere illis exciderunt, arripiát, & plura adhuc noua dogmata hinc extruant.

Vbiquitarios cùm à Luthero, tum etiam ipsos inter sese mutuò dissentire.

Postea quam hactenus ostendi Vbiquitariā doctrinā à veteris ecclesiæ doctrina diuersam, renouare quàm plurimos veterum hæreticorum errores, deinceps expendendum nobis est, quomodo cum Lutheri doctrina atq; ipsa Augustana confessione consentiat, & quis sit inter ipsos Vbiquistas consensus. Neque tamē hic singula minutatim persequar, id enim si quis facere velit, & non tantum vetera eorum scripta, sed solum prima quæ in hac controuersia edita sunt cum postremis conferat, magnam congeriem contradictionum colligere poterit, nos hic tantum summa capita cōtrouersiæ huius attingere volumus.

Primum igitur vniuersa hæc doctrina realis communicationis, cum Augustana confessione, & doctrina Lutheri pugnat. Etenim quod articulum de Trinitate attinet, & de na- Cōmunicatio realis contraria Augustanæ confessioni.

turis in Christo, nulla vnquam fuit controuer sia inter Pontificios, & illos qui Augustanæ cõ fessioni subscripserunt, agnoscebant enim hi veteris ecclesiæ doctrinam de his dogmatibus ex sacris literis desumptam, & veterum Synodorum authoritate confirmatam in Papatu retentam fuisse. Itaque sæpe in Comitijs asseruerunt de his nullam controuersiam esse. Idem quoque Lutherus in scriptis suis testatus est, veluti in eo libello quo complexus est capita fidei Christianæ, contra Papam & portas inferorum constanter asserenda: nam in prima parte proponens sublimia capita de diuina maie„ state, nempe de Vnitate essentiæ, & persona„ rum distinctione in sacrosancta Trinitate, & in„ carnatione filij, subijcit: De his articulis nulla „ controuersia aut contentio est, cum vtrosque „ vtrinque confiteamur. Quare superuacaneum „ erit de his prolixius agere. Porrò certum est „ Vbiquitatiorum doctrinam de reali communicatione idiomatum damnari à Papistis. Nã non tantum in Germania publico scripto hãc damnarunt, sed in celeberima quoque Galliarum Academia Parisina apertè asseruerunt hoc dogma hæreticum esse: neque difficulter ostendi potest plurimum hanc opinionem à Scholasticorum sententia differre, à quibus etiam

tiam plæraque Vbiquitariorum argumenta acutè refutantur. Itaque dissentiunt à confessione Augustana & nouas controuersias mouent Vbiquitarij hac sua noua & veteri ecclesiæ inaudita doctrina de reali communicatione. Aliter etiam Lutherum sensisse scripta eius ostendunt, & quamuis Vbiquitarij eum secum sentire asserant, diuersum tamen ex scriptis eius ostendunt non tantū Zuingliani quos vocant, sed ipsius Lutheri discipuli, qui eius doctrinā constanter retinent, neque vllo modo cū Zuinglianis colludunt: imò hoc ipsum quidam nō extremi nominis ex his qui nunc Vbiquitatē probant, olim asseruerunt. De Philippo etiam Melanchtone, quem hi ingrati discipuli mortuum mordent ac lacerant, non est dubiū eum constanter asseruisse realem hanc communicationem esse transfusionem physicam proprietatum qua naturę confunduntur, aut altera aboletur. Reliquos doctores ecclesiarum Augustanæ confessionis non necesse est commemorare, qui inter se cōsentientes nunquam agnouerunt hanc realem communicationem.

Porrò de ipsa cōmunicatione reali diuersæ Vbiquitariorū sunt opiniones: aliqui enim volunt humanam naturam suas quoq; proprietates diuinæ naturæ cōmunicare, alij contra

Diuersę opiniones de communi.

censent tantum diuinarum proprietatũ transfusionem in humanam naturam fieri. Atque rursus has proprietates omnes absq; exceptione humanæ naturæ cõmunicari Brentius asserit: alij contra distinctionem faciũt, & quasdam incommunicabiles, quasdam communicabiles esse aiunt: quæ tamen sint communicabiles, nondum prorsus inter ipsos conuenit, sicuti neque de cõmunicationis tempore; quando alij hanc maiestatem humanitati Christi ab ipsa conceptione tribuunt, alij demũ postquam à mortuis resurrexit & clarificata est. Similiter de proprietatibus humani corporis diuersa sunt eorum iudicia: nam circumscribi & in loco esse Brentius inter accidẽtales proprietates corporis numerat: & quidam scribit, corpus Christi has proprietates vt tangatur & in loco sit, post resurrectionem abiecisse. At verò Iacobus Andreę & nõnulli alij circumscriptionẽ verá & essentialẽ humani corporis proprietatem esse agnoscunt: ita vt etiã corpus Christi gloriosũ in cœlo circũscriptũ esse fateãtur.

Dissentiũt à Luthero de præsentia in cœna Domini.

Deinde quod ad alterum caput huius controuersiæ pertinet, de pręsentia corporis Christi in cœna sacrosancta, ne hic quidem cũ Luthero consentiunt. Lutherus enim asseruit corpus Christi gloriosum, saluo pane sic esse in

Sacra-

Sacramento ſicut ignis eſt in ferro, ſalua ferri ſubſtantia, ſic enim ſcribit in libro contra regem Angliæ: Cur non poſſet Chriſtus corpus ſuum intra panis ſubſtantiam continere, ſicut in accidentibus? Ecce ignis & ferrum ſunt duæ ſubſtantiæ, ſic miſcentur in ferro ignito, vt quælibet pars ſit ferrum & ignis. Cur non multo magis corpus Chriſti glorioſum, ſic in omni parte ſubſtantiæ panis eſſe poſſet? His verbis vult Chriſtũ ratione glorioſi corporis in cœna præſentem eſſe. Hanc autem præſentiam ita explicat, quod definitiuè & corporaliter adſit: nam in Confeſsione parua edita anno 1544. ſic ait: Hoc autem modo docent Papiſtæ (imò non Papiſtæ, ſed eccleſia, non enim Papa ſacramentum inſtituit) & nos cum « ijs, quod corpus Chriſti non ſit localiter in Sa« cramento, ſed definitiue, hoc eſt, certò eſt ibi « corporaliter & verè. Sæpe etiam ſcribit, Chri« ſti corpus in cœna cum pane corporaliter « manducari ore noſtro. Sed contra Iacobus « Andreæ tres conſtituens rationes corporis Chriſti, phyſicam, glorioſam & maieſtatis, negat Chriſtum ratione glorioſi corporis in cœna præſentem eſſe. Idem ſcribit, corpus Chriſti non manducari carnaliter & corporaliter, neque carnaliter, aut corporaliter, aut natura

Contra Bezã pa. 90.

liter in Sacramento præſens eſſe. Præterea Lutherus realem & corporalem præſentiam corporis Chriſti in cœna, docuit nouam quandam eſſe exiſtentiam ſubſtantię corporis Chriſti quæ ante in pane non fuerit, ſed facta ſit vi verborum Domini, vnde etiam hanc præſentiam huiuſmodi locutionibus explicat, corpus Chriſti corporaliter eſſe in pane, inuadere & per verbum aduehi in panem, latere in pane, intra panis ſubſtantiam contineri, in omnibus ſub Sacramento locis eſſe. Contra verò Vbiquiſtæ docent ſubſtantiam corporis Chriſti propter vnionem perſonalem & ſeſsionem ad dexteram Dei, eam maieſtatem & potentiã accepiſſe, vt in omnibus locis, atque in omnibus creaturis præſens ſit: attamen in pane cœnæ dominicæ certa quadam ratione diſpenſari & manducandam dari.

Verba cœnæ non eodem modo interpretantur.

Contra Regem Angliæ

Rurſus quod ad interpretationem verborum cœnæ domini pertinet, Lutherus ita interpretatur: Hoc eſt corpus meum, id eſt, hic panis eſt corpus meum. Nam textus ſic habet: Accepit panem, benedixit, fregit & dixit:
» Hoc eſt corpus meũ, &c. Vides hic, vt omnia
» illa verba, accepit, benedixit, fregit, de pane di
» cantur? Et eundem demonſtrat pronomen
» HOC, Quia illud ipſum, quod accepit, benedi-

xit,

xit,fregit,hoc (inquam)acceptum & benedi- "
ctum,& fractum significatur,cum dicitur: Hoc "
est corpus meum, non prædicatum,sed subie- "
ctum demonstratur. Non enim corpus suum "
accepit, benedixit, & fregit, sed panem, ideo "
non demonstrat corpus, sed panem. Contra "
verò Vbiquistæ in colloquio Mulbrunensi pertinaciter negarunt propositionem hanc: Hoc est corpus meum, idem esse atque Hic ponis est corpus meum: atque in scriptis suis cõtendunt esse propositionem identicam, aut demonstrationem, HOC, panem simul & corpus Christi demonstrare. Rursus aliqui Vbiquistarum præsentiam corporis Christi in sacramento volunt definiri his verbis, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: ac aiunt somniare eos qui volunt corpus absolutum de pane prædicari, cum id intelligendũ sit ratione additi prædicati, Quod pro vobis traditur. Contra verò sentiunt alij verbis: Hoc est corpus meum, ipsam absolutam substantiam sacramenti describi, addita autẽ prædicatione, Quod pro vobis traditur, vsum eiusdem indicari. Iam sunt nonnulli eorum, qui nullum prorsus tropum in verbis cœnæ domini admittendum putant: contra alij censent esse in his verbis synecdochen. Sæpè e-

tiam dicunt ſolam fidem ſufficere ad manducandum corpus domini: rurſus aiunt oportere omnino vt oraliter quoque illud manducemus. Iam vero illa quis non iudicet contradictoria eſſe: Chriſti verum naturale & ſubſtantiale corpus adeſſe realiter & ſubſtantialiter, non tamen corporaliter aut localiter, aut vt alij dicunt adeſſe naturaliter, ſed modo non naturali: eſſe in loco, ſed non localiter: non adeſſe localiter, & tamen ore manducari & manu miniſtri porrigi: non eſſe phyſicam carnalem & corporalem præſentiam, & tamen phyſicè & corporaliter manducari, & quidem ita vt Lutherus ſcribat: Os & ſtomachum Chriſti corpus manducantem in æternum viuere, & corpora noſtra phyſicè percipientia Euchariſtiam corporis Chriſti etiam incorruptibilia & æterna fore? Multa præterea alia huiuſmodi ex ipſorum ſcriptis proferri poſſent, quæ nunc libens prætereo. Scio enim aduerſarios habere plenas thecas diſtinctionum, quibus omnia hæc conciliare poſſunt, ſed ego hoc vnum peto à moderatis lectoribus, vt ſepoſito omni affectu res ipſas diligenter expendant, conſiderent quid ſimplici ſcripturarum ſenſui conſentaneum ſit, quid cum purioris eccleſiæ doctrina conſentiat aut diſcrepet, id enim

ſi ſe-

si sedulo faciant, de tota hac controuersia facilè iudicare poterunt.

Quoniam verò duæ sunt res, quibus quasi præiudicijs quibusdam aduersarij nos opprimere conantur, necessario mihi quoque de his dicendum existimaui. Primum iactant se asserere gloriam & maiestatem domini & seruatoris nostri Iesu Christi, ideoq; vbiquitatem seu omnipręsentiam corporis eius, nunc nouo maiestatis nomine ornāt. At quis vellet impugnare maiestatem Christi, & glorię eius aliquid detrahere? Verum hic admonendus est simplex harum controuersiarum lector, longe aliud esse vbiquitatem corporis, aut factam & communicatam Deitatem quam humanæ naturæ tribuunt, aliud maiestatem veram & cœlestem Christi seruatoris nostri. Vbiquitatem corporis eius negamus, propterea quod illa cum sacrarum literarum doctrina & articulis fidei, veritateque humanę naturæ pugnat. Christus equidem non est ψιλὸς ἄνθρωπος, purus aut merus homo, sed Deus homo, & quamuis non sit homo merus, est tamen homo verus, integram enim humanam naturam nobis per omnia similem excepto peccato assumpsit, cuius naturæ veritatem nos tueri & retinere oportet. Neque enim Christus homo verus est, nisi naturæ suæ proprietate substantialiter prędi tus sit.

Quomodo maiestas Christi asseratur.

Interea veram eius maieſtatem, non minus quam aduerſarij noſtri aſſerimus, æternam, infinitamq́ue diuinitatis maieſtatem aſſerentes in Chriſto ſeruatore noſto. Quæ enim quæſo maior eſſe poteſt carnis maieſtas & gloria, quam quod æternus Dei filius eam ita in vnitatem perſonæ ſuæ aſſumpſit, vt verè dicatur, verbum caro factum, ita vt iam Deus ab homine ſeparari non poſſit, nec alterutrum nominari, quin alterum ſimul intelligatur, cum vnus & idem ſit Deus & homo, Dei filius & hominis filius? Sed fuit hæc antiquitus multorum errorum occaſio, quòd humanæ naturæ infirmitatem ſpectantes, exiſtimarunt non conuenire huius aſſumptionem infinitæ maieſtati, inde varię opiniones Docitarum exortę ſunt, quorum alij cœleſte aut aereũ corpus ſeruatori noſtro tribuerunt, & tantum in phantaſmate ipſum apparuiſſe dixerunt: alij verò initio retinentes humanæ ſubſtantiæ veritatem, poſtea tamen eam vel in diuinitatem cõuerſam, vel ab eadem abſorptam voluerũt. Etſi autem noſtri Vbiquitarij ſe longe ab horum opinionibus abeſſe aſſerunt, nihilominus tamen res ipſa indicat, & nos ſupra monuimus, quàm parum diſtent ab his veterum hæreſibus. Quare nomine Maieſtatis non patiatur lector ſibi fucum fieri, ita enim maieſtas Chriſti ſecundùm

carnem

carnem asserenda est, vt ipsa caro cum suis proprietatibus, salua maneat, eiusdem etenim periculi est, in Christo humanæ naturæ veritatem tollere, atque diuinitatem eius abnegare. Si enim non est verus homo, non etiam est mediator noster, mediatore autem amisso, quid spei nobis restat?

Alterum deinde est, quòd omnes qui ab illis diuersum sentiunt, Zuinglianorum nomine exosos vulgò faciunt. Nam sicut quondam solum Christianum nomen ad damnandum satis erat, ita vt si quis diceretur Christianus, mox clamaretur ad ignem, ad gladium, ad bestias. Ita nostra ætate Theologi quidam per Germaniam Zuinglij nomen assiduis criminationibus ita exosum reddiderunt, vt vulgus hominum quibus ignota est Zuinglij doctrina (studiose enim cauent isti Theologi, ne Zuinglianorum libri à quoquam legantur) Zuinglianos omnium hæreticorum pessimos esse existiment. Ac vtile quidem esset, & decebat hoc Christianam simplicitatem, omnia factionum nomina tam Luthoranorum quàm Zuinglianorum è medio sublata esse, sed quando id in hac temporum miseria sperari non potest, & quia nomen Zuinglianorum, quod nunquam nobis sumpsimus, neq; adhuc vsurpamus, Christo enim non Zuinglio nomen

De Zuinglianorum nomine.

dedimus,attamen ab aduersarijs nobis impositum reijcere non possumus, dicam breuiter quod sit caput illud Zuinglianæ doctrinæ, cuius nomine tantopere exosi sumus. Illud autem vnicum est de modo præsentiæ corporis Christi in cœna domini.

Etenim cum anno Domini 1529. Zuinglius atque Lutherus euocati ab illustrissimo Hessorum principe Philippo Marpurgũ conuenissent, de cæteris quidem partibus doctrinæ Christianæ inter se consenserunt, tantum de modo præsentiæ non potuerunt conuenire, veruntamen amicè discessum est, vtrisq; assentientibus, quandoquidem in præcipuis dogmatibus idem sentirent, abstinendum esse deinceps ab omni contentione, & Deum orandum, vt in hac etiam controuersia lumen accendat, & concordiæ viam ostendat. Neq; ab eo tempore nos vllum caput doctrinæ in nostris ecclesijs mutauimus, vt obijcere fortè possint, tum quidem nostram doctrinam probatam fuisse Luthero, at nos nunc aliter docere, quàm olim consuetum fuerit in ecclesijs nostris. Quanta autem hæc sit iudiciorum iniquitas, æquus lector iudicet. Primum omnium Zuinglius ipse optimè de ecclesia Dei meritus, & ecclesiæ ab illo institutæ pro pessimis hæreticis damnantur, tantum quia de modo

præsen-

præsentiæ corporis Christi in Eucharistia, de que plerique aduersariorum nihil in S. literis definitum esse fatentur, à Papistis & à Luthero dissentiunt. Damnantur deinde ob hanc cõtrouersiam, quam olim Lutherus Marpurgi, & postea etiam in negotio concordiæ, non tanti esse putauit, vt propter hanc concordia ecclesiarum dissoluenda sit, & si postea vel quadam ingenij vehementia, vel factiosorum hominum sermonibus instigatus, aliter scripsit et fecit. Postremò pro hæreticis pessimis proclamantur, cum tamen nunquam causa legitimè cognita damnati sint. Etenim si nobis obijciũt suorum theologorum conuentus, in quibus nonnunquam nostri damnati sunt, non possumus hos pro legitimis iudicijs agnoscere cum nostros nunquam audiuerint, nullum illis locum defendendi doctrinam suam dederint, libris quoque eorum omnem aditum præcluserint. Si hæc esset legitima damnatio, non minus legitimè aduersarij nostri damnati essent à concilio Tridentino, in quo tot viri docti ex diuersis admodum prouincijs conuenientes, authoritate summorum regum & principum, ipsos damnarunt. Possumus etiam ipsorum cõuentibus alios contrarios conuentus opponere, in quibus cum nonnulli hoc potissimum agerent, vt Zuingliani nominatim damnaren-

tur,non potuerunt id efficere,quoniam plerique illuſtriſsimorum principum, & ſaniorẽ etiam Theologorum pars ab huiuſmodi illegitima,& iniqua damnatione abhorrebat. Quod ſi vnius Lutheri authoritate nos premere volunt, quaſi ea ſatis ſit ad nos omnes condemnandos,cur non liceat nobis Luthero, magno quidem viro & eximio Dei ſeruo, ſed tamen homini vicisſim alios homines opponere, vel veteris eccleſię patres orthodoxos,ad quorum iudicia prouocare nunquam dubitauimus,vel quem tantopere oderunt Zuinglium ipſum et Oecolampadium? Hi enim ambo (quod abſq; inuidia dictum ſit) Luthero neq; doctrina, neque pietate, neque ſtudio propagandi Euangelij, neque laboribus & periculis afflictionibuſq; Chriſti cauſa perferẽdis, vlla ex parte inferiores fuerũt. Quamuis autẽ iniqua ſint Germanorum quorundã de optimis atq; ſanctiſsimis hominibus iudicia,tamẽ alibi,vbi pręiudicia hęc nõ regnant,ſcio longe honorificentius homines de illis ſcribere & loqui,quando Dei beneficio plurimi ſunt in Gallia,Italia,Anglia, Polonia,alijſq; regionibus,qui ingenue fatentur ſeſe horũ doctrina & ſcriptis non parũ adiutos fuiſſe, vt ad veræ religionis agnitionem peruenirent. Spero etiam multos eſſe in ipſa Germania, & quotidiè plures fore,qui ſepo-

sita omni hominum authoritate, causam atq; rem ipsam diligentius expendentes, nos non ita pro desperatis & à vera ecclesia alienis habituri sint. Nam si maxime in hac, de modo præsentiæ, controuersia nostri à vero aberrassent, tamen cum de reliquis doctrinæ partibus pie & orthodoxe scripserint, atq; S. literas optime & doctissime interpretati sint, non erant certe tam atrociter ex ecclesia eijciendi, & omnia eorum scripta vna exceptione damnanda. Quis enim ignorat, quot næuos & nõ leues errores Patribus condonare, & ad eos conniuere oporteat? Quoniam verò nondum constat nos errare, ne patiantur quęso pij homines sibi imponi hac responsione, qua plerasque nostrorum rationes reijciunt, dicentes: Argumentum hoc Zuinglianum esse & dudum confutatum, ideoque nulla responsione opus habere. Verum cum Apostolus nos spiritus & prophetias dijudicare velit, cognoscant ipsi argumenta, & responsiones vtrinq; allatas bene expendant, atque ita causa bene cognita seposito omni affectu de re ipsa iudicent. Hoc si à bonis & moderatis viris impetrare poterimus, est sanè quod gaudeamus, nã spes esset paulatim hac ratione diu exoptatam concordiã ecclesiæ restitui posse. Sin autẽ contra omnis spes legitimæ cognitionis, omnis-

que ratio ineundæ concordiæ nobis præcidi-tur, nos quidem propter ecclesiarum quę hinc metuenda est, dissipationem plurimum dole-bimus: sed videant hi pacis & cõcordię hostes, quomodo Christo qui tantopere pacem & cõ-cordiam Ecclesię suę commendauit, rationem reddituri sint nouorum & inutilium certami-num quæ quotidie commouent. Ac siquidem meliora ab illis impetrare non possumus, te Domine Iesu Christe precamur, vt horum fu-rores compescere velis, & Ecclesię tuæ largiri, vt in vera tui agnitione, sublatis tandem tristi-bus controuersijs, vt tua membra decet, sanctè ac concorditer viuat, vt verè dicere pos-simus, omnium in te credentium es-se cor vnum & animam vnam, Amen.

RESPON.

RESPONSIO

AD DVAS DISPVTATIONES D.

ANDREAE MVSCVLI, S. THEOlogiæ Professoris in Academia Francofordiana, & Ecclesiarum Marchiæ Superintendentis generalis, De vera reali & substantiali præsentia corporis & sanguinis Iesu Christi in Sacramento Altaris: qua prioris quidem disputationis propositiones, ordine oppositis contrarijs propositionibus confutantur: posterioris vero præcipua tantum capita examinantur, per Iosiam Simlerum Tigurinum.

PROPOSITIONES DE VERA REALI ET SVBSTANTIALI PRAESENTIA corporis & sanguinis Iesu Christi in Sacramento Altaris, auctore Andrea Musculo, S. Theologiæ doctore, & professore Academiæ Franckfordianæ.

VT esset publicum testimonium nos in Ecclesia nostra retinere formam sanorũ verborum, quibus Christus vsus est in cœnæ institutione: atq; vt bonis & pijs doctrinæ sanæ ministris: & de præsentia Christi in sacra Synaxi recte sentientibus planum fiat, nos idẽ cum ipsis sentire, & ex animo abhorrere à Sacramentariorum & Caluinistarum veterum & recentiorum prauis atque blasphemis dogmatibus, suscepimus in hac disputatione & examine publico doctorum virorum, licentiam accipiendi gradum Doctorum in Theologia à nobis petentium, defensionem veræ, realis & substantialis præsentiæ corporis & sanguinis Dei & Mariæ filij in Sacramento Altaris.

I.

Ac primum omnium improbamus sinistram ac vanam, Caluinistis non parum patroci-

PROPOSITIONES DE VERA ΚΟΙΝΩΝΙΑ CORPORIS ET SANGVINIS DOmini nostri Iesu Christi, à Iosia Simlero opposita propositionibus Andreæ Musculi, quibus crassam illam realē & vbiquisticam præsentiam corporis Christi asserere conatus est.

IN tanta varietate opinionum de modo præsentiæ Christi in sacra Eucharistia, nos quoq; publice fidem nostram consentaneam sacris literis & doctrinæ veteris Ecclesiæ exponere voluimus, vt ostenderemus nos ex animo abhorrere ab Vbiquistica doctrina, & crassa eorum opinione, qui corpus & sanguinem Christi realiter & corporaliter in pane & vino includunt. Et ad præmonendos simplices & incautos, de vera & viuifica communione corporis & sanguinis Christi, quæ spiritualiter fit per fidem, ne præstigijs & sophismatibus Vbiquitariorum sibi hanc eripi patiantur, substituta in eius locum communione Vbiquistici corporis, incogniti scripturis.

I.

Ac primum eorum sententiam vt piam &

trocinantem opinionem quorundam, qui vt Ecclesiæ tranquillitati & concordiæ consulere velle videantur, humana adducti sapientia plausibiliter quidem, sed non sine periculo amittendæ veritatis institutionis Cœnæ sacræ arbitrantur, & affirmant controuersiam hanc Sacramentariam nihil articulis fidei aut Ecclesiæ symbolis derogare: & idcirco censent male eos facere, qui contradicendi studio diuersum sentientibus sese opponunt, & lites in Ecclesia mouent de rebus non adeo necessarijs, & in quibus debeant esse sententiæ liberæ, & quemq; posse absque fidei & salutis periculo, quam velit pro arbitratu suo amplecti atq; sequi sententiam & opinionem.

II.

Nos verò non rationis iudicio neque nudis opinionibus, sed verbi Dei authoritate in contrariam sententiam vocati, statuimus hanc ipsam controuersiam de cœna Dominica omnino pertinere ad articulum fidei nostræ, & symboli secundam partem, quæ est de incarnatione filij Dei, deq; ea pie & sobrie disserendũ esse. Nam destructo sublatoq; vero & sano intellectu verborum Christi κατὰ τὸ ῥητὸν, & alio eoq; peregrino simplicibus significantibusq; verbis quibus Dominus in cœnæ institutione vsus fuit, afficto & assumpto, euertitur simul totum

modestiam non improbamus, qui existimant hanc controuersiam de modo præsentiæ, exclusis nouis Vbiquistarum dogmatibus, non debere concordiæ Ecclesiarum obstare. Neque enim modus hic præsentiæ vnquam inter articulos fidei reputatus fuit, nisi quando Papistæ suam doctrinam de transubstantiatione in Concilio Lateranensi sanciuerunt. Neque Sacramento quicquam derogatur, quando veram κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi vtraque pars profitetur. At idem sensisse videtur Lutherus, qui & Marpurgi cum Zuinglio, & Vuittenbergæ cum Bucero & alijs Ecclesiarum superioris Germaniæ ministris concordiam inijt

II.

Itaque lites in Ecclesia non necessarias mouent, qui viros bonos ac pios propterea damnant, quod carnalem & corporalem inclusionem corporis & sanguinis Christi in pane & vino cœnæ Dominicæ non agnoscunt. Grauius autem peccant, qui articulum de Incarnatione Domini, controuersiæ de cœna Dominica admiscent, & nouam atque à scripturis alienam doctrinam de Vbiquitate corporis Christi, & reali communicatione, Ecclesiæ obtrudunt, atque ita totum mysterium salutis nostræ euertunt.

totum hoc myſterium fide adorandum.

III.

Qui ergo pio ſecundum ſcientiam zelo ſe furoribus Caluiniſtarum acriter opponunt, ij nobis bene recteque facere, & bonam in Ecclesia Dei mereri laudem, neq; vllũ dare ſcandalum, neque Iſraelem conturbare videntur, ſed reipſa teſtatum facere, ſe fœderis eorum ſocietatem fugere, neq; horrendos errores tacendo conniuendoque approbare velle.

IIII.

Non enim ij leues & tolerabiles errores ſed ipſiſsimas hæreſes Neſtorij & Eutychetis multis ſeculis ante damnatas, & ex Eccleſijs eiectas atq; exploſas denuo renouatas in eaſdem reuocant & introducunt.

V.

Nam dum praua & impia imaginatione faſcinati, docẽt Chriſtum ſecundum humanam naturam certo loco in cœlo circumſcriptum & alligatum, in eoq́; vſq; ad tempora reſtitutionis omnium manſurum eſſe, fit vt veram, realem & ſubſtantialem Dei & Mariæ filij præſentiam in cœna pernegent, ſeparent atque diuellant duarum naturarum vnionem ab ipſo conceptionis exordio, nullo vnquam ſeculo ſeparabilem.

VI.

III.

Hi autem verè sunt illi qui totam Germaniam turbant, & pacem Ecclesiarum impediunt, atq; veteres errores Martionis, Eutychetis, Nestorij & Patripaßianorum renouant, & in Ecclesiam denuo introducunt.

IIII.

Ac non pudet eos prauam & impiam imaginationem nominare, id quod scriptura apertis verbis docet: Christum secundum humanam naturā certo loco circunscriptum esse, ac cælo oportere contineri, vt Petrus dicit Acto. 3. vsq; ad tempora restitutionis omnium.

V.

Existimant enim seruata in Christo humanæ naturæ veritate, vnionem personalem quæ verè inseparabilis est, diuelli: & quod magis metuunt, tolli realem & substantialem præsentiam carnis Christi in Eucharistia. Itaque ipsi contra fingunt humanam naturam diuinæ exæquatam, & cum ea vbique præsentem esse.

VI.

Vnde etiam alius eorum error oritur, quod è Trinitate quaternitatem faciunt, Christum hominem non in persona Verbi, sed communicata quadam Deitate in se, Deum facientes.

VI.

Quin & de errore in errorem prolapsi, Trinitate in vnitate constantiæ Dei sublata, quaternitatem constituunt.

VII.

Nam Christus Deus & homo, Dei & Mariæ filius in vna hypostasi, non in duabus subsistens, vbicunq; est, ibi quoq; est Deus & homo, totus & integer Christus.

VIII.

Dato enim vno loco in quo Deus esse, homo autem non esse dicatur diuisa est irrefragabiliter persona, quæ vbicunq; est, inseparabilis est, constans tota & integra ex vnitione humanæ & diuinæ naturæ.

IX.

Orthodoxa itaque & Catholica fide edocti, retinemus vnionem hanc adorandam, ab vtero matris inseparabilem: & credimus inconcussa & indubitata fide totum Christum esse in vtero Virginis, in horto, in cruce, in sepulchro, in cœlo & in terris, & sic consequenter in cœna sacra.

X.

Et ea pietate constanter negamus filium hominis

VII.

Christus vero, Deus & homo & idem Dei ac hominis filius in vna hypostasi, non in duabus subsistens, vbicunq; est, est Deus & homo, totus & integer Christus, iuxta communionem idiomaton: seu vt in scholis dicitur, totus Christus vbiq; est, sed non totum Christi.

VIII.

Nam vbicunq; est Christus, nō adest vt Deus solum absq; assumpta humanitate, sed vt Deus Verbum caro factum: neq; tamen propterea humana natura cum Verbo vbiq; est: Verbum enim quod vbiq; est, humanam naturam in sua persona nihilominus sustentat inseparabiliter, etiā si eam non vna secum omnibus locis substantia sua præsentem statuat.

IX.

Itaq; quod ex Augustino adducitur, Christum totum esse in vtero Virginis, in horto, in cruce, in sepulchro, in cælo & in terris, libenter admittimus, nempe quod hæc persona diuina est, & ideo vbique tota & integra. Vnde Augustinus ibidem præmittit: Hoc est Deum esse, quod vbique totum est. Cæterum quo ad naturas iuxta eundem Augustinum homo Christus secundum carnem fuit in sepulchro, secundum animam in

hominis cœlos capi, eique inclusum & certo loco alligatum teneri, qua impietate cœnę Dominicæ hostes hoc ipsum affirmant, & indubitanter asserimus Christum filiū Dei & Mariæ simul & semel & quidem in momento oculi, in diuersis & singulis locis, vbicunque voluerit esse, præsentem esse totum & integrum secundum vtranque naturam in vna hypostasi subsistentem.

XI.

In hac Orthodoxa confessione firmi consistentes & verbo Dei edocti, non veremur affirmare cum Idiomata humanæ naturæ nostræ angustiora sint, quàm vt mirabili & ratione incomprehensibili vnioni duarum naturarum respondeant & conueniant per omnia, Filium Dei in vtero Virginis, in vnione personali, præter proprietates naturæ humanæ alias quoq; præternaturales in eam assumpsisse, vt sit vnus Christus, vnus Mediator & Saluator, in vna persona Deus & homo secundum vtranq; naturam, totus & integer Christus, Dei & Mariæ filius, præsens suæ Ecclesiæ, præsens in Cœna, præsens vbique suis in regno sibi à Patre tradito.

inferno, Deus vero Christus vbiq; semper. Nec tamen (inquit) cum filium Dei Christum dicimus, hominem separamus, aut cum eundem filium hominis dicimus, separamus Deum: secundum hominem nanque in terra erat non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis, qui est in cœlo, quamuis secundum id quod filius Dei erat, esset in cœlo: secundum id verò quod filius hominis erat, adhuc esset in terra nondumq; ascendisset in cœlum.

X.

Itaq; recte cum scripturis & D. Augustino asserimus, filium hominis corpore suo cœlos contineri, & certo loco circumscriptum esse, cum tamen diuinitate sua vbiq; præsens sit. Et impiam illorum sententiam detestamur, qui naturas confundentes, ea quæ diuinitatis sunt, vt vbiq; essentialiter præsentem esse, humanitati tribuunt.

XI.

Cum autem verbũ Dei doceat duas naturas in Christo ita conuenisse, vt nõ inde tertia quædam noua essentia facta sit, sed vt ambæ in suis proprietatibus saluæ permaneant: frustra quidam

XII.

Ex hoc fundaméto non eſt obſcurũ, quàm miſerè cæcutiant ignari ſpiritualium ij, qui eo quod Filius Dei factus ſit homo, & humanæ naturæ proprietates habeat, harum conſideratione ipſum certo in loco recte collocari, & cœlo capi, concludique vt hominem docent atque cõtendunt, cum ſcientes neſciant quod Filius Dei non tantum dicatur in ſcriptura conceptus & natus ex Maria virgine, ſed de Spiritu ſancto conceptus, virtute altiſsimi obumbrante Mariæ. In qua ſane conceptione & obumbratione virtutis altiſsimi nihil aliud oſtendit & docet ſcriptura, quàm ſupra communem formationem hominis, factam formationem in vtero virginis ex Spiritu & virtute obumbrante, conuenientem vnitioni inſeparabili humanæ & diuinæ naturæ, adiectis præternaturalibus Idiomatibus, vt Deus & homo ſit vnus Chriſtus, Deus & homo in vna perſona naturis non diuulſis aut ſeparatis, in ſuo regno ſecundum ſuam naturam vbique præſens.

XIII.

Sic ipſi aſſertione Phyſica proprietatum humanæ naturæ faſcinati gloriantur, de victoria nondum parta, & pijs recte de conceptione & vnione naturarum Chriſti ſentientibus

imaginantur humanæ naturæ datas esse quasdam præter naturales proprietates, vbiquitatem & similes, vt ita incomprehensibili vnioni idiomata hæc respondeant. Nam si talem velimus analogiam statuere inter vnita, humanam naturam infinitam facere oporteret, ita enim responderet naturæ diuinæ, cui vnita est: sed λόγος infinitus & æternus humanitatem temporalem & finitam integram, manentibus suis proprietatibus sibi coniunxit. Etsi enim humana natura in Christo ineffabilibus donis ante & magis post glorificationem ornata est, nunquam tamen humanæ naturæ proprietates amisit.

XII.

Itaque recte concludunt, qui ex eo quod filius Dei homo factus humanæ naturæ proprietates habet, eum secundum humanam naturam certo in loco esse, & loco contineri asserunt. Etsi enim conceptus est ex Spiritu sancto, tamen vt Leo inquit: Nouitas creationis proprietatem generis non remouit. Natus quidem est ex Virgine & peccati omnis expers fuit, cæterum per omne excepto peccato nobis similis factus est.

XIII.

Abutuntur itaq; mysterio hoc conceptionis ex Spiritu sancto factæ, qui ex eo conficere volunt Corpus Christi supernaturales proprietates, & nominatim Vbiquitatem accepisse.

tibus illudunt, & mysterium hoc de conceptione ex Spiritu sancto facta, & virtute altissimi obumbrâte, quasi in eo nihil omnino momenti sit, tacite callideque prætereunt.

XIIII.

Nos vero non duce ratione humanaque sapientia, sed cœlesti lumine illustrati, & verbo Dei edocti, fide adoramus hanc mirabilem, cœlestem, & rationi atque creaturæ rationali absonditam conceptionem, formationem & vnionem duarum naturarum diuinæ & humanæ, & vbique scimus, vbique agnoscimus totum & integrum Christum, neque eum in loco diuisum, neque altera natura ab altera separata quærimus.

XV.

Hoc fundamento firmo & immoto, fide certa indubitataque credimus, credentes loquimur & testamur in cœna sacratissima, à Dei & Mariæ filio instituta & celebrata, & quæ celebratur & celebrabitur in sancta Ecclesia vsque ad consummationem sæculi, verum corpus & sanguinem verum Iesu Christi, verè & substantialiter adesse, & exhiberi sumentibus, cum illis rebus quæ videntur pane & vino.

XVI.

XIIII.

Oportet enim nos ita hanc mirabilem & cœlestem conceptionem & formationem sanctißimi partus in vtero Virginis, vt scripturis edocti sumus, credere: vt simul etiã humanæ naturæ suas proprietates non auferamus. Nam vt naturæ nõ sunt separandæ, ita etiam nõ sunt confundendæ.

XV.

Quare cum certa & indubitata fide credamus & confiteamur, Christum verum corpus & loco circumscriptum habere, eoque terris absentem cœlo contineri, non possumus eorum opinioni assentiri, qui corpus ipsius realiter, substantialiter & naturaliter præsens in pane cœnæ Dominicæ exhiberi aiunt.

XVI.

Sed sicut in prima cœna, vbi tamen corporaliter & visibiliter aderat, discipuli ipsius corpus non manducarunt corporaliter, quod adhuc paßibile erat, sed spiritualiter per fidem, ita nunc quoque vult suum corpus & sanguinem à credentibus spiritualiter manducari per fidem, huic autem manducationi locorum distantia non obstat.

XVI.

Et credimus ipſum ſicut in cœna prima, ita nunc quoque ſuum corpus & ſuum ſanguinem extra omnem rationis coniecturam, mediante manu miniſtri, omnibus & ſingulis ad ſacram ſynaxin accedentibus, dignis & indignis, licet ſorte inæquali ſumentibus, vt canit Eccleſia, porrigere.

XVII.

Confitemur quoque nitentes firmiſsima petra verbi, in hac cœna non aliam nos carnem, quàm quæ nata eſt ex Maria virgine, & paſſa in cruce, & reſurrexit à mortuis, fide & ore percipere atque manducare.

XVIII.

Atque vt certam ex præmiſsis ponamus definitionem cœnæ Dominicæ, dicimus Sacram ſynaxin eſſe actionem ſacram, aut cultum diuinum à Chriſto inſtitutum, in quo Chriſtus ipſe totus & integer ſecundũ vtranque naturam, præſens in terris, præbet ſuum corpus præſens non abſens, non remotum nó certo loco affixum in cœlo, verum, ſubſtantiale & naturale, & ſanguinem ſuum verum in pane & vino ſumentibus tam dignis, quàm in

dignis

XVII.

Porro non aliam carnem quã quæ nata est ex Maria virgine, & passa in cruce, et resurrexit à mortuis, manducari asserimus. Neq; enim Christo duo corpora affingimus, aut spirituale eius corpus facimus, sed modum manducationis spiritualem esse nouimus, quæ non fiat ore, sed fide.

XVIII.

Recte autem Cœna Domini describitur, quod sit actio sacra à Christo instituta, vt à nobis in recenti memoria retineatur, & in nobis etiam obsignetur, maximum generi mortalium præstitum beneficium, quod corpus suum pro nobis tradidit, & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudit, et nos sua carne pascit, & suo sanguine potat, quæ vera fide spiritualiter percepta nos alunt ad vitam æternam. Et hæc quidem visibiliter foris hoc sacramento repræsentantur, & oculis subijciuntur, intus autem in animo inuisibiliter per ipsum spiritum sanctum præstantur. Sicut enim fideles à ministro Domini, panẽ Domini accipiunt & edunt, ac bibunt de poculo Domini, ita intus per spiritum sanctũ percipiunt carnem & sanguinem Domini, & pascuntur his in vitam æternam.

XIX.

Non existimandum est physicas & philoso-

dignis, his quidem in iudicium, illis verò in testimonium applicationis remissionis peccatorum, & alios salutares vsus & fructus.

XIX.

Execramur quoque deprauatorum cœnæ philosophicas coniecturas, & imaginationes de physisica tantum conceptione, & formatione Christi in vtero virginis, & alias vanas ratiocinationes & dubitationes, quomodo Christus etiam secundum humanam naturam in tam paruo corpore panis & vini esse possit: sed nos duce scriptura sacra, scimus nihil esse tam magnum, quin Deus sit minor, nihil tam paruum, quin Deus sit maior, nihil tam longum, quin Deus sit longior, nihil tam breue, quin Deus sit breuior, Iesus Christus verus Deus & homo in vna persona inseperabiliter existens.

XX.

Et negligentes illorum philosophicas speculationes non veremur affirmare, etsi fortassis parum Physicè, attamen Theologicè totũ Christum & integrum in vna persona esse posse in loco, secundum omnem modum philosophicum, circumscriptiue, & definitiue, & repletiue.

XXI.

phicas imaginationes esse, quibus circumscriptio & certus locus, & reliquæ proprietates humano corpori Christi tribuuntur, quoniã scriptura hæc illi tribuit, & semper sic docuit vetus Ecclesia. Est autem absurda opinio, corpus Christi propter vnionem personalem esse vbiq;. Etsi enim de Deo dicitur nihil esse tam magnum, quin Deus sit maior, nihil tam paruum, quin Deus sit minor, nihil tam longum, quin Deus sit longior, nihil tam breue, quin Deus sit breuior: tamen id de humanitate Christi quæ circumscripta est dicere non licet, nisi existimemus eam in diuinitatem mutatam. At sicuti non licet concludere: Deus est æternus, absque principio, incorporeus, incircumscriptus: Christus Iesus est Deus: Ergo secundum humanam naturam æternus, absq; principio, incorporeus est. Ita etiam Vbiquitatem corporis Christi ex Vbiquitate diuinæ naturæ non licet conficere.

XX.

Non reijcimus eorum speculationẽ, qui Christo in cruce mortuo, corpus eius circumscriptiuè in cruce, & postea in sepulchro fuisse aiunt, animam definitiue apud inferos, diuinitatem repletiue vbique præsentẽ fuisse. Verum qui Christũ secundũ vtranq; naturã aiunt posse in loco esse circũscriptiue, definitiue, repletiue prorsus non

XXI.

At ſicut credimus, Chriſtum non diſſoluta vnione, neque confuſis naturarum proprietatibus fuiſſe in lapide & ianua clauſa: ſic tenemus quoque Catholica fide, eius carnem & ſanguinem eſſe in pane & vino.

XXII.

In hac ſimplici & vera fide acquieſcimus, & eam reuerentiam, potentiam & efficaciam, ſimplicibus & claris Chriſti verbis, pro vt ſonant, tribuimus, & fide oreque indubitanter corpus & ſanguinem eius percipimus.

XXIII.

Cum ergo ille qui omnia poteſt, cui omnia cedunt, & extra cuius potentiam nihil eſt, dixerit in ſua ſacratiſsima cœna, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, non patimur neque patiemur vnquam nos vllis verborum præſtigijs hoſtium cœnæ, à ſimplici verborum ſenſu de vera & reali præſentia Chriſti abduci, auertique.

XXIIII.

Ideoq; hæc verba Chriſti ſecundum genuinum, verum & grammaticum ſenſum accipimus: neq; eis ſymbolicum, denominatiuum, metonymicum, aut quemuis alium ſenſum à Sacramentarijs & Caluiniſtis excogitatum & confictum, affingimus, & affingi patiemur.

loquuntur Theologicè. Neque enim Theologorum est absurda & contradictoria affirmare. Et circumscriptiuè in loco esse, tam non conuenit diuinæ naturæ, quàm humanæ non quadrat repletiuè vbique esse, quod est solius dignitatis, vt testatur August. Epist. 57. Et magister sententiarum lib. 1. distinct. 37.

XXI.

Ex eo autem quòd corpus Christi clausis ianuis intrasse, & per lapidem sepulchri transiisse dicitur, non tollitur veritas corporis. Nam vt Patres aiunt: Creatura cessit creatori. At idem corpus realiter & substantialiter multis in locis aut vbique præsens esse, cum veritate humani corporis pugnat.

XXII.

Quare à verò sensu verborum Christi aberrant, qui asserunt corpus eius in cœna realiter & substantialiter & corporaliter simul in multis locis præsens esse.

XXIII.

Cum autem hæc sint verba Christi: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic est sanguis noui Testamenti, recte faciunt, qui se ab his verbis & vero eorum sensu abduci non patiuntur.

XXV.

Curiosa autē ingenia modum & ordinem quærentia, cum nemo sit qui verbis ea explicare, ac ne cogitatione quidem assequi possit, suæ relinquimus impietati & blasphemę curiositati, salutisq; periculo non dubio.

XXVI.

Nam hoc magnum pietatis mysterium nō est subiectum communi naturæ ordini: sed ratio eius in virtute Christi est, scientia in fide, causa in potestate, & effectus in voluntate eiusdem.

XXVII.

Sic vnio quoq; ipsa panis & corporis Christi est incomprehensibilis: quia non est personalis, neque naturalis, neque formalis, sed sacramentalis & supernaturalis.

XXVIII.

Non enim includitur corpus Christi in panem localiter, neque modo naturali, sed præsens est realiter & substantialiter.

XXIX.

Neque etiam verborum sono corpus Christi de cœlo detrahitur, neque nouum corpus fingitur, sed verum ac viuum corpus Christi statuitur in cœna præsens realiter, substantialiter & naturaliter.

XXX.

Commu-

Sed neque genuinum & Grammaticum verborum sensum retinent, neque veram διάνοιαν afferunt, qui excluso omni tropo realem & corporalem præsentiam corporis Christi in pane, aut cũ vel sub pane ex illis verbis statuunt.

XXV.

Qui igitur veram διάνοιαν reuerenter in scripturis quærunt, & secundum has explicant modum & ordinem verborum Christi, nequaquam curiosi aut blasphemi iudicari debent.

XXVI.

Nam cum scriptura generaliter ita definiat nobis corpus Christi, quod illud pluribus in locis simul esse nõ possit ab hac eius definitione in cœna nobis non est recedendũ, nisi perspicuo Dei verbo patefactum fuerit, Deum voluisse hic quicquã secus fieri. Vbi enim de voluntate Dei constat, ibi demũ tota facti ratio consistit in potentiã faciẽtis.

XXVII.

Sic de vnione panis & corporis Christi (quamuis scripturæ non ita loquantur) non simpliciter ex potẽtia Dei argumentandũ est, sed de voluntate eius quærendũ. Recte autem dicitur vnionem hanc non esse personalem, naturalem aut formalem, sed sacramentalem & supernaturalem.

XXVIII.

Atq; vt corpus Christi non in panẽ includitur localiter, neq; verborum sono de cœlo detrahitur,

Communicantes ergo firmiſſima fide percipimus, & ore manducamus verum corpus & verum ſanguinem Chriſti, admirando & adorando tantum modò.

XXXI.

Multò minus imaginamur vllam corporis diſtractionem: neq; dicimus hac arcana præternaturali & corporali manducatione carnē Chriſti alterari in nobis vel etiā coinquinari.

XXXII.

Ita pernegamus quoque Capernaiticam illam lanienam corporis Chriſti, & Scythicam quoque cruoris Domini ingurgitationem.

XXXIII.

Similiter etiam non intelligimus præſentiam Phyſicam, Geometricam aut Mathematicam, de paruitate aut magnitudine: ſed ſentimus in cœna verum corpus & verum ſanguinem Chriſti adeſſe ſupernaturali & cœleſti modo.

XXXIIII.

Ideoque aſſerimus corpus Chriſti accipi & manducari non viſibiliter, neque ſenſibiliter: fatemur quidem ambas res verè & ſubſtantialiter

neq; modo naturali præsens est: ita etiam non est coniunctum pani, & in cœna præsens realiter & substantialiter, quocunque tandem modo id fieri dicatur.

XXIX.

Sed sacramentalis vnio est, vbi signum & res signata coniungūtur per relationem, qua signum rem ipsam efficaciter significat & repræsentat. Est autem hæc vnio supernaturalis, quoniam nō naturaliter, neque ex hominum instituto, sed ex Dei ordinatione hæc externa symbola cœlestium rerum signa facta sunt.

XXX.

Communicantes ergo ore quidem externa signa sumimus, rem autem ipsam fide percipimus spiritualiter.

XXXI.

Neq; hic imaginanda est vlla corporalis præsentia aut manducatio.

XXXII.

Illa enim si corporalis & carnalis est, Capernaitica erit. quantumuis aliis coloribus ornetur.

XXXIII.

Similiter physica & localis erit præsentia, si verum & naturale corpus substantialiter præsens adest. Modus enim cœlestis non efficit vt verum corpus non localiter adsit, si illud substantia sua præsens est.

tialiter in cœna adesse, panem & vinum sensibiliter & visibiliter, corpus verò & sanguinem Christi inuisibiliter & incomprehensibiliter.

XXXV.

Nec manducari communem panem, sed illum, cum quo verè & substantialiter adest & exhibetur vescentibus corpus Christi.

XXXVI.

Captiua ergo teneatur ratio humana & omnis intellectus sub fide & obediētia verborũ Christi, & κατὰ τὸ ῥητὸν verba Christi, vt sonãt accipiantur, imo taceat omnino mulier in ecclesia & digito compescat labellum philosophia, quiescant Plato & Aristoteles in hisce sacris mysterijs.

XXXVII.

Reuerenter quoque cum timore & tremore sentiamus de hoc mysterio: & dicamus cum ecclesię hymno ad firmandum cor syncerum, sola fides sufficit: præstet fides supplementum sensuum defectui.

XXXVIII.

Digna veneratione & hæc verba hymni amplectamur contra Sacramentariorum blasphemi-

XXXIIII.

Ideoq; sibiipsis contradicunt, qui asserunt corpus Christi verè & substantialiter in cœna adesse, ac ore manducari, & tamen manducationem eius supernaturalem esse volunt, quæ ore & fide fiat.

XXXV.

Panis autem cœnæ Domini non propterea cōmunis est, si cum illo corpus Christi non substantialiter cōiunctum est, sed est sacer & diuinus panis nō mutatione substātiæ, sed mysterij ratione.

XXXVI.

Hoc mysterium non ratione humana, sed fide æstimandum est, & tenenda vera sententia verborum Christi, quæ cum reliquis locis scripturæ, & analogia fidei consentiat. Atq; hic seponatur Lutheri & omnis aliorum hominū authoritas.

XXXVII.

Recipimus etiam sano sensu dictum hoc ex Ecclesiæ hymno: Sola fides sufficit, præstet fides supplementum sensuum defectui. Sed fidei nomine non intelligimus falsam persuasionem de corporali præsentia, verum eam fidem qua credimus filium Dei pro nobis traditū, & ita traditū & affixum cruci, vt sit cibus noster & potus spiritualis, quo ad æternam vitam sustētemur, sicut Christus testatus est Ioan 6. capite. Et cum instituere sacramentum Eucharistiæ repetijt.

ſphemos furores. Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem: Sub diuerſis ſpeciebus ſignis tantum, & non rebus latent res eximiæ. Caro, cibus, ſanguis, potus, manet tamen Chriſtus totus ſub vtraque ſpecie. A ſumente non conciſus, non confractus, nec diuiſus integer accipitur. Sumit vnus, ſumunt mille, tantum iſte, quantum ille, nec ſumptus abſumitur. Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali vitæ vel interitus.

XXXIX.

Grata itaque mente cum Eccleſia ſancta ab iſto inſtitutionis exordio agnoſcamus ac celebremus hanc immenſam bonitatem filij Dei, quod ſanctiſſimum ſuum corpus, & puriſſimum ſuum ſanguinem cum noſtris corporibus multis modis pollutis, & horrendis infirmitatibus contaminatis coniungere non dedignatur.

XL.

Deteſtemur ſimul & veterum & nouorum Sacramentariorũ varias & multiplices gloſſas & interpretationes de ſigno, typo, figura & ſymbolo.

XLI.

XXXVIII.

Veruntamen hymnum hunc non multum moramur, etsi enim quædam commodam interpretationem admittant, tamen cum non sit veteris Ecclesiæ hymnus, sed à Thoma Aquinate compositus, idque ad firmandam transsubstantiationem Papisticam & panis adorationem, eius auctoritas nulla est nisi apud Papistas, ad quorum castra vos transitis.

XXXIX.

Nos verò cum veteri Ecclesia pia mente agnoscimus ac prædicamus immensum beneficium Filij Dei, quod nos fecit membra corporis sui, carnem de carne sua, & os de ossibus suis. Sicut autem illa coniunctio cum Christo nostro capite non requirit realem & substantialẽ carnis Christi præsentiam, ita etiam ad veram κοινωνίαν *corporis Christi, quam in cœna Domini habemus, non necesse est id realiter & substantialiter præsens esse, vt ita nobis Christus physico contactu iungatur.*

XL.

Fides enim nostra manducat veram carnem spiritualiter, quæ ore animi sumitur, interim ore corporis signum, typum, figuram & symbolum accipimus: neque hanc nostram interpretationem quisquam damnare potest, quin simul damnet veteres omnes, à quibus hanc desumpsimus.

XLI.

Non enim potest inueniri locus vllus in scriptura, qui testetur Christum non adesse in cœna, vt necesse sit ad allegorias, tropos & figuras confugere.

XLII.

Proprijssimè namque Christus in cœnalo qui, neque vlla figurata loquntione hunc sacro sanctum thesaurum ecclesiæ suæ inuoluere voluit.

XLIII.

Firmissima ergo & indubitata fide appehendamus hæc clara & genuina Christi verba in genuino sensu, quem natura, vsitata Grammatica, & certa ipsorum significatio reddit.

XLIIII.

Nec verba Christi falsa esse possunt, qui est ipsa veritas, sensus verò noster & intellectus quem non afferimus ex verbo, sed inferimus & affingimus potius, potest nos fallere vt sanè fallit.

XLV.

Id testantur tot sensus & diuersissimæ opiniones, quæ sunt capita Sacramentariorum. Non enim de his vnum, qui cum altero sentiat, & non potius diuersam opinionem tueatur, inuenias.

XLVI.

XLI.

Nam cum omnino sit eadem huius sacramenti ratio, quæ & aliorum sacramentorum, in quibus res et signum distinguuntur, & signo nomen rei per Metonymiam tribuitur, necesse quoq; est eundem tropum hic retinere.

XLII.

Neque enim vllus scripturæ locus profertur, qui cogat nos verba Domini aliter accipere quàm vsitato sacramentorum more. Nam Christus in cœna tropum in omnibus sacramentis vsitatum retinuit, neque propterea hunc Thesaurum inuoluit, cum hæc loquendi ratio Ecclesiæ nota sit.

XLIII.

Ergo veram & simplicem sententiam verborum Christi, desumptam ex omnium sacramentorum communi ratione, et congruentem cum analogia fidei firma et indubitata fide retineamus.

XLIIII.

Sicut autem verba Christi vera sunt, ita hic est verus ipsorum sensus, qui nos fallere non potest, quē ex analogia fidei & vsitata scripturæ loquēdi ratione deprompsimus.

XLV.

Quod autem aliqui panem aiunt signum aut figuram esse corporis Christi, alij significare corpus Christi, in eo nulla est contradictio, cum eadem sit sententia diuersis verbis exposita.

XLVI.

Vnde facile iudicari poteſt ipſos agitari malo ſpiritu, & iuſto Dei iudicio confundi in ſua ſapientia, qua ipſi cœleſtem ſapientiam iudicant.

XLVII.

Propterea damnandus & fugiendus eſt quoque prauus nouorum Caluiniſtarum intellectus, qui contra clara & perſpicua Chriſti verba non verentur aſſerere Chriſtum quidem vere & ſubſtantialiter in cœna præſentem diſtribuere ſuum corpus & ſanguinem ſumentibus, ſed illud tamen ita longe abſens, vt cœlum à terra diſtat; ſicque gratia & ſaluifica potentia in eccleſia ſparſa animo & fide ſubſtantiam corporis & ſanguinis abſentis percipi, ſed à corporali manducatione remotiſsimam.

XLVIII.

Hic eſt vltimus in ſacroſanctá filij Dei cœnam blaſphemus ſpiritus ex tenebris ſuis egreſſus, & in angelum lucis ſpecioſius reliquis Sacramẽti hoſtibus transformatus. Ideo

timen

XLVI.

Qui autem realem præsentiā fingunt, & hanc modo corporalem nominãt, ac rursus corporalem esse negant: & modo in pane includũt, modo cum pane coniungunt corpus Christi: & de Vbiquitate & præsentia corporis Christi quotidie nouas & diuersas opiniones proferunt, hi ostendunt se nihil solidi habere, ac dum odio simplicis doctrinæ sese in hæc absurda immergunt, merito iusto Dei iudicio confunduntur.

XLVII.

Interea tamen non damnamus eos qui dicunt Christum verè & substantialiter in cœlis contineri, atq; nos nihilominus substantiam corporis et sanguinis eius in cœna spiritualiter per fidem sumere aiunt. Corpus enim Christi pro nobis traditum, quod fide apprehendimus, quodq; in cœlis manet, verè est corpus & substantia, attamen non ita dicendum est substantiam eius à nobis percipi fide, quasi corpus Christi vel in Sacramẽto, vel in animis nostris ita præsens adsit, vt ibi substantiā suam & corpulentam materiam habeat. Sic enim in cœlo tantum est, & certo aliquo loco continetur propter modum veri corporis.

XLVIII.

Vsi sunt autem boni viri hac phrasi, si forte illa cõtrouersiā de modo præsentiæ tollere possent: Sed quoniam ita contentionis spiritus plerosq; agitat,

timendum ne maiori quoque applausu ecclesias Christi suis sordibus contaminet. Sed Dei & Mariæ filius author preciosissimi thesauri ecclesiæ reprimat horum & aliorum furores, & hunc ecclesiæ thesaurum nobis & posteris nostris integrum incorruptumque benigniter conseruet & tueatur.

QVAESTIONES.

I.

An Ascensio Christi ad cœlos quidquid derogет præsentiæ ipsius substantiali in cœna.

II.

An recte dicatur Christum in cœna verè & substantialiter adesse per communicationem Idiomatum, hoc est, secundum diuinitatem, non autem secundum humanam naturam assumptam.

III.

An corpus Christi exhibeatur in cœna corporaliter, an verò tantum efficaciter secundum virtutem & efficaciam, non secundum substantiam.

vt ad stabiliendam crassam suam opinionē etiam bene dictis abutantur, & præterea non dubitent nouas & portentosas opiniones de Vbiquitate in Ecclesiam introducere, nos illos suo iudicio relinquamus, & in explicando hoc mysterio phrasibus & verbis simplicibus ac minime ambiguis deinceps vtamur. Interim Christum vnicum caput & gubernatorē ecclesiæ suæ precamur, vt hos pacis & traquillitatis hostes compescat, & nos in vera sui agnitione quotidie augeat & conseruet.

RESPONSIONES.

I.

Articulum de ascensione veteres semper intellexerunt de corporali & physica locatione in cœlo, & corporali præsentiæ Christi in his terris opposuerunt, vnde rectè asseritur substantialem in cœna præsentiam cum ascensione Christi pugnare.

II.

Cum essentialiter vbiq; præsentem esse solius diuinæ naturæ proprium sit, Christus homo non potest dici in cœna præsens esse aliter, quam per communicationem Idiomatum, non autem secundum humanitatis substantiam.

III.

Si quærimus quomodo Christus fidei nostræ offeratur, efficacia corporis eius & virtus ab ipso corpore nō est sciungenda, nō tamen est statuenda

IIII.

An corporalis manducatio ſine ſpirituali proſit vel obſit magis.

V.

An ſextum caput Ioannis rectè referri poſſit ad corporalem manducationem in cœna.

VI.

An κοινωνία apud Paulum 1. Cor. 10. ſit intelligenda non tantum de fructu & efficacia, ſed potius de ſubſtantia corporis Chriſti.

VII.

An etiam mali & impij corpus Chriſti verum, & ſanguinem eius verum percipiant.

VIII.

An fides dantium vel accipientium faciat Sacramentum, vel potius ſola inſtitutio & verba Chriſti.

IX.

An adoratio Chriſti præſentis in cœna ſit approbanda.

AD

substātialis præsentia corporis eius, vel in animis nostris, vel etiam in externis symbolis cū quibus nobis offertur.

IIII.

Si corporalis manducatio aliquid prodesset, nō de illa dixisset Christus: Caro, hoc est, carnalis mā-ducatio, qualem Capernaitæ conceperāt, nihil prodest.

V.

Si corporalis manducationis nomine in cœna, ipsa symbolorum manducatio intelligitur, de ea non loquitur Christus Ioan. 6. At res ipsa, hoc est, corpus Christi non aliter manducari potest, quàm illo modo quem Christus docuit Ioan. 6. spiritualiter per fidem.

VI.

Κοινωνία, de qua Paulus loquitur, non tantum beneficiorum Christi, sed ipsius Christi κοινωνία est: ius & societas.

VII.

Impios abusu Sacramenti reos fieri corporis et sanguinis Domini Paulus docet. Impios autem corpus & sanguinem Christi percipere, neque ex scriptura, neq; ex Patribus ostendi potest.

VIII.

Fides non facit Sacramentum, sed recipit Christum nobis in Sacramento oblatum.

IX.

Qui adorationē Papisticā Sacramenti et crassam illā artolatriam probat, facile adduci poterit, vt reliquas etiam abominationes Papatus probet.

AD SECVNDAM DISPVTATIONEM DOCT.

Andreæ Muſculi Reſponſio.

CVM meas Propoſitiones Andreæ Muſculi Propoſitionibus nuper editis, oppoſitas, prelo ſubiecturus eſſem, commodum ad me mittitur ab amico ſecunda eius Diſputatio, perlecta igitur illa, huic quoque reſpondere ſtatui, attamen non exiſtimaui, id quod in priori feceram, neceſſe eſſe, vt ſingulas propoſitiones ordine oppoſitis contrarijs propoſitionibus refutarem, propterea quod propoſitiones quidem multæ ſunt, ſed res quæ in his tractantur paucæ, verum ſatis fore iudicaui, ſi capita tantum controuerſiæ attingerem: plenam enim diſputationem de ſingulis nemo vt arbitror, à me requirit, cum dudum omnia copioſe & erudite à multis expoſita ſint. Apparet autem Muſculum hunc, non tam ſuæ ſententiæ tuendæ, quàm alienæ inſectandæ ſtudio & cupiditate quadam hæc in lucem edidiſſe. Atque in vtraque diſputatione oſtendit ſe vnum ex eorum numero eſſe, qui pacem & concordiam eccleſiæ ferre non poſſunt, & nihil magis metuunt, quàm ne tandem triſtis & luctuoſa controuerſia Sacramentaria, quæ

mirifice

mirifice hactenus Ecclesias Germaniæ turbauit, piorum & doctorum virorum opera componatur, ne perpetuo tanta cum offensione infirmorum, qui Euangelium profitemur ipsi inter nos mutuo decertemus. Initio quidem posterioris disputationis aliquam de se moderatæ & sanæ sententiæ spem præbet, nam regulam quæ ad illustrandam doctrinam de Sacramētis vtilis & necessaria est, probat. Quod nihil habeat rationem Sacramenti veri extra vsum diuinitus institutum· & pontificiam idololomaniam, adorationem panis, eiusdem inclusionem, circumgestationem, applicationem, ad pellendos dæmones, arcendas tempestates, restinguenda incendia, oblationem in Missa pro viuis & mortuis, & matrem omnium harum superstitionum Transubstantiationem damnat. Verum mox à recto tramite recedit, & tota disputatione nihil potius habet, quàm vt Regulæ ab initio à se positæ verum & simplicem sensum ab alijs optime expositum & illustratum, obscuret: deinde vt loco Transubstantiationis consubstantiationem, aut Impanationem introducat, & nouam ἀρτολάτρειαν in ecclesia confirmet.

Ac primū affirmat panem esse ipsum Christi corpus, quod tamen non eo modo ab ipso dicitur, quo Veteres panem corpus Christi Prop. 13

nominant, quia corporis eius signum & Sacramentum est: nam inquit etiam panem esse corpus Christi, non tantum in pane esse corpus Christi. Cur autem hoc modo nunc loquatur, cum in priori disputatione tantum posuerit vnionem Sacramentalem panis cũ corpore Christi, non aliam causam video quam vt sibi aditum paret ad panis adorationem defendendam. Si enim panis vere & identice est corpus Christi, vtiq; adorari debet: sed quam absurdum hoc sit, & à vera fide alienum pij omnes vident.

Prop.13. Præuaricari deinde paululum videtur, dicens digne accedentibus & manducantibus, non tantum fructum & efficaciam, sed ipsam essentiam corporis Christi exhiberi: perinde enim videtur loqui, atque si affirmaret tantum digne accedentes corpus Christi manducare, quod nos quoque affirmamus: sed postea asserit etiam indigne & sine fide accedentes, cum pijs verum corpus & sanguinem percipere.

Prop.14. & deinceps. Duplicem postea manducationem facit, vnam symbolorum, alteram corporis & sanguinis Christi, realiter & substantialiter verissime præsentis. Atque ipsa quidem diuisio cum veterum doctrina congruit, quod autem ad manducatioñe corporis Christi requirit eiusdem

dem realem & substantialem præsentiam, id ex sua & suorum opinione addidit, qui existimant corpus Christi non posse verè communicari, nisi realiter & corporaliter præsens fuerit. Porro hanc ipsam corporis Christi manducationem rursus duplicem facit, vnam fidei seu spiritualem, alteram qua ore etiam essentialiter, seu corporaliter illud accipimus, atque hanc ita definit. Corporalem autem intelligimus, non tantum de naturali & sensibus subiecta, qua cibus dilaniatur & conteritur dentibus, sed etiam de arcana, mystica & præternaturali, qua corpus Christi non conteritur dentibus, nec alteratur in nobis, sed nos potius alterat, & substantiam corporis & animæ nostrę transmutat, & sibi agglutinat, & efficit nos participes vitæ æternæ, quæ etiam Sacramentalis dici potest. Porro hæc eius definitio corporalis manducationis, cum his quæ postea subijcit pugnat. Primum enim hic statuit opus operatum, quod tamē postea se statuere negat, tribuit enim corporali manducationi qua ore sumimus corpus Christi, quod ea nos participes efficiat vitæ æternę. Nam eum hanc manducationem separet ab ea quę fide fit, iam non fidei, sed operis operati ratione huic tribuit, quod orali hac manducatione per Christum ore sumptum vitæ æternæ participes reddat.

Prop. 19.

mur. Deinde asserit postea, indigne accedétes ad cœnam Domini corpus Christi sumere sibi ad iudicium: & tamẽ hic absq; exceptione corporali manducationi vitam adscribit. Pugnát igitur Musculi propositiones non tantum aduersus nos, & veteris ecclesiæ doctrinam, sed ipsæ quoq; sibi contradicunt.

Est autem hæc distinctio manducationis duplicis corporis Christi, seu triplicis, primæ qua symbola & Sacramenta, secundæ qua corpus ipsum corporaliter, & tertię qua idem corpus spiritualiter manducatur, à Papistis inuenta. Veteres enim tantum duplicis manducationis meminerunt, vnius qua Sacramentum, & alterius qua rem Sacramẽti percipimus: Sic Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 26. Qui
„ manducat, inquit, carnem meam, & bibit san-
„ guinem meum, in me manet, & ego in eo: o-
„ stendit quid sit non Sacramentotenus, sed re-
„ uera comedere corpus. Hoc enim sic dixit, tan
„ quam si diceret, Qui non manet in me, & in
„ quo ego non maneo, non se dicat aut existimet
„ manducare corpus meũ, & sanguinem meum
„ bibere. Idem in Ioan. tract. 26. Huius rei Sacra-
„ mentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis
„ Christi, alicubi quotidie, alicubi certis inter-
„ uallis dierum in mensa Domini præparatur:
„ & de mensa Dominica sumitur quibusdam ad vitam,

vitam, quibusdam ad exitium: res ipsa vero cu- "
ius Sacramentum est, omni homini ad vitam, "
nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fue- "
rit. Alibi distinguit inter panem Domini, & panem Dominum. Videtur quidem alicubi impijs tribuere, quod corpus Domini comedant, quoniam Sacramenta sumunt corporis & sanguinis Domini, quæ nomen rerum accipiunt. Sed si quis diligenter cùm ipsius, tum aliorum Patrum scripta examinet, tantum duplicis manducationis mentionem fieri inueniet, vnius quæ pijs & impijs communis est, qua Sacramenta seu symbola, siue corpus Christi in Sacramento & Sacramentotenus sumitur: alterius quæ fidelium est propria, qui non tantum Sacramentum, sed ipsam rem Sacramenti, Christum ipsum spiritualiter per fidem sumunt. Porro inter has duas manducationes intermediam ponunt Aduersarij corporalem & oralem manducationem, substantiæ corporis & sanguinis Christi realiter præsentis: ac non solum nouam hanc manducationem introducunt repugnantem veritati carnis Christi, & ipsius in cœlos ascensioni: sed naturam quoque Sacramentorum euertunt, illa enim instituta sunt, vt terrenis signis cœlestia testificentur, & animos nostros in cœlos euehant: ipsi autem è cœlis rem Sacramenti detrahen-

tes,& coniungentes, ac quaſi conſubſtantiantes rei terrenæ,nos in terris retinēt: atq; quod ferendum non eſt, ex corpore Chriſti Sacramentum faciunt, cuius res ſit ipſa efficacia & meritum corporis quod fide percipiatur, atq; ita efficaciam corporis horrenda impietate diuellunt & ſeparant ab ipſo corpore, quando impios corpus ſumere aiunt, efficaciæ autem illius participes eſſe negant. Videntur verò aliquem colorē afferre ſuæ ſententiæ,quod hac ratione diſcrimen ſtatuatur inter veteris & noui Teſtamenti Sacramenta,nā veteres quoque fide ſpiritualiter manducaſſe corpus Chriſti, ſed corporalem manducationem nouo Teſtamento propriam eſſe. Sed ſi corporalis præſentia diſtinguere debet Sacramenta noui fœderis à veteribus, oportet vt eadem præſentia in baptiſmo quoq; ſtatuatur,ſcilicet vt ſanguine Chriſti realiter & ſubſtantialiter in baptiſmo præſente à peccatis noſtris abluamur, quod tamen nemo vnquam dixit. Eſt quidem magnum diſcrimen inter noſtra & veteris populi Sacramenta,de quo pręter alios veterum ſæpe & diligenter Auguſtinus diſſerit, nuſquā tamen corporalem & realem pręſentiam Chriſti inter Sacramentorum vtriuſq; fœderis differentias nominat. Imò aduerſus Fauſt. lib. 20.
„ cap. 2. Huius ſacrificij caro & ſanguis ante ad-

uentum

uentum Christi per victimas similitudinũ pro " mittebatur: in pasſione Christi per ipſam ve- " ritatem reddebatur: poſt aduentũ Christi per " Sacramentum memoriæ celebratur. Hic Sacramento noui fœderis non corporalem præſentiam, ſed memoriã ſacrificij ſemel à Chriſto oblati tribuit. Quod ſi diſcrimẽ aliquod in his quæ nobis in noui fœderis Sacramentis offeruntur, ſiue in re ipſa, ſiue in modo offerendi ponendũ erat, tale procul dubio poni debuit, quod proprie ad eos pertineret, qui vere ſunt in nouo fœdere, at illi diſcrimen tale ponunt, quod non minus ad impios pertinet, qui reuera extra fœdus ſunt, quam ad fideles ad quos proprie fœdus pertinet.

Iam quod aſſerit ipſum corpus & ſanguinem Christi, eſſe certum ſigillum, confirmationem & obſignationem fidei & ſpiritualis manducationis: item corporalem manducationem eſſe teſtificationem, pignus & obſignationem manducationis ſpiritualis. Primum in eo peccat, quòd corpus Chriſti à manducatione corporis non diſtinguit. Deinde hæc quidem affirmat, ſed non probat. Sacramenta eſſe ſigilla fidei noſtræ receptum eſt, quoniam Paulus Circuncisionem σφραγίδα nominat: ſed Muſculus hoc quod externorum ſymbolorũ eſt, corpori Chriſti tribuit, & id facit Sacramentum,

Prop. 12. Prop 17. & 21.

quod est res Sacramenti. Quod si dicat se de interna & efficaci obsignatione loqui, quomodo hanc tribuit corporali manducationi, qua etiã impij corpus Christi manducant? Postremo videat ipse, quomodo cum suis gregalibus, qui corporalem manducationẽ propugnant, conuenire queat: illi enim asserunt hoc esse nouũ Testamentum quod Christus Ecclesiæ legarit, corpus suum comedendum, & sanguinem suum bibendum, atque ipse hoc posuit discrimen veteris & noui Testamenti, hic autẽ corpus Christi, & eius manducationem tantum facit sigillũ & obsignationem spiritualis manducationis, quam Patres etiam in veteri Testamento habuerunt.

Prop. 23. Similiter noua est eius interpretatio de recordatione seu cõmemoratione Christi in cœna, Recordari Christi inquit, non est beneficia in panis & vini perceptione meminisse, ac sentire quod vere ea nobis exhibeantur, sed est meminisse, quod in manducatione panis, hoc ipsum corpus manducemus, hoc corpus nobis exhibeatur, quod pro nobis traditum est, hoc corpus quod pependit in ligno, & hic sanguis qui in ara crucis effusus est in remissionẽ peccatorũ. Sed Paulus aliter intellexit verba Christi, qui præceptum, Hoc facite in meam commemorationẽ, ita interpretatur: Quotiescunque

que enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annuntiabitis donec veniat. Et cum in cœna Christus non absolute corpus suum nobis comedendum offerat, & sanguinem suum bibendum, sed corpus pro nobis traditum & fractum, & sanguinẽ effusum pro remissione peccatorum nostrorũ, proculdubio etiam voluit ita commemorationem corporis sui fieri, vt maxime celebraremus summum hoc beneficium, quod nos corpore suo in mortem tradito, & sanguine effuso, à morte & damnatione redemit. Quomodo itaq; Musculus contendit in cœna hanc præcipuam esse cõmemorationem, quod corpus Christi corporaliter nobis ad manducandũ datum sit, & id corporaliter manducatũ nos inquit participes efficere vitæ æternæ. Prop.19. Prop.24.
Item hac corporali manducatione obsignatos propter pignus corporis Christi quod manducatione hac acceperunt, statuere iubet omnia peccata sibi remissa esse: reuera impiam opinionem, quod cœna Domini sit opus quod ex opere operato mereatur remissionem peccatorum, confirmat, quamuis id ipsum verbis constanter neget. Iubet nos certe statuere propter hanc obsignationem nobis condonata peccata, ad hanc autem obsignationem non requirit fidem, quando corporalis hæc manducatio,

quę obſignatio eſt qua certi ſumus iuxta illum de vita æterna, fit abſq; fide, & communis eſt pijs atque impijs. Nam quod addit, fiducia operis operati Chriſti in cruce nobis remitti peccata, hoc etiam Pontificij dicunt: ſed opus operatum Chriſti non tantum fide nobis applicat, ſed opere operato manducationis carnalis. Similiter ea quę ſubijcit, fide & ore manducari corpus Chriſti pro nobis traditum, ac nos fide confirmatos erigi corporali manducatione corporis Chriſti ſub terroribus peccati & legis, vt agamus Deo gratias pro accepto corpore & ſanguine Chriſti & omnibus beneficijs in ipſo & per ipſum nobis exhibitis: pugnant quidem cum ſuperioribus. Nam hic fide & ore corpus Chriſti manducari aſſerit, ſupra corporalem manducationem, quæ etiam abſq; fide fiat tantopere extulit, & tamē ſi quis ſingula expendat, primas partes etiam hic corporali manducationi tribuit, quod illa erigat nos ſub pauoribus & terroribus legis. Atque adeo totus huic vni addictus eſt, vt Euchariſtiam inde dictam velit, cultū glorificationis merito Deo offerendum, propter tot ac tanta beneficia in cœna nobis exhibita, manducatione corporis & ſanguinis Chriſti, agere enim nos Deo gratias pro accepto corpore & ſanguine Chriſti, & omnibus beneficijs in ipſo.

Prop. 28.

Prop. 24.

Prop. 29.

At longe

At longe aliter veteres docuerunt, qui cōferentes Eucharistiam cum sacrificijs veteris Testamenti, voluerunt sacrificium Christi quo seipsum pro peccatis nostris obtulit in cruce, fuisse adumbratū per veterū sacrificia, sed Eucharistiam esse memoriam & gratiarumactionem pro redemptione vnico Christi sacrificio nobis parta. Sic enim D. Augustinus. In isto sacrificio gratiarumactio atq; cōmemoratio est carnis Christi quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo beatus Paulus dicit in Actibus Apostolorum, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Atq; vt Patres nunc omittamus, Augustana confessio sæpe hoc vrget, cœnam institutam esse vt fides in ijs, qui vtantur Sacramento recordetur quæ beneficia accipiat per Christum, atq; erigat & consoletur pauidā conscientiā. Promissionem gratuitæ remissionis peccatorū in Sacramento offerri & fide recipiendam esse. At Musculus docet recordationem Christi absq; fide corporaliter manducati, hac manducatione obsignatos de salute vult certos esse, hoc opere applicat nobis beneficia Christi.

De fide ad Petr diaco num ca. 19.

Quo autē apertius ostenderet Musculus se ad castra Papistarum transfugium sibi parare,

Prop. 31. 33 34. 39.

multis propositionibus cōtendit præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, ipsa pronuntiatione verborum constitui, ita vt ad verborum pronuntiationem in omni cœna præsens sit corpus Christi, etiam ante fidem & manducationem. Priori disputatione præsentiæ corporis Christi fundamentū constituit vnionē personalē, cuius ea sit vis, vt corpus Christi nullo loco circumscriptum vbiq; cum diuinitate pręsens statuat. Atq; talem proprietatem pręternaturalē ex ipsa conceptione ē spiritu sancto humaná naturá accepisse, vt vbiq; pręsens esse posit. Cæterū nunc quasi oblitus priorum, Papistico more pronuntiationi verborū attribuit, quod horū vi corpus Christi præsens cōstituatur. Ac argumentū affert à prima cœna, in qua statim ad verborū sonum adfuerit corpus & sanguis Christi, eiusdē autē potentiæ virtutis & efficaciæ nunc quoq; esse & semper fore verba Christi. Cęterū de verborū Christi veritate & virtute atq; efficacia non est controuersia, modo de sensu eorū constet. Aiunt Papistæ sermonē Christi operatorium esse, ideoq; huius vi panē in corpus Christi cōuerti: similis est opinio Musculi, tātum in hoc differt, quod loco transsubstan. consubstantiationem fingit. Sed vtriq; primū in eo fallūtur quod ambiguum pro confesso sumunt, Christi ser-

sti sermoné operatorium esse: nō enim semper Christi sermo operatorius est, sed nonnuquam indicatiuus. Christus inquit, Ego sum vitis: Ioannes est Elias: quàm absurde auté is faceret, qui ita velit concludere, verba Christi esse efficacia & operatoria, ideoq; Christū vere & reipsa vitem esse, & Ioanné substátialiter esse Eliam. Vbi sermo Dei earum rerum quæ dicuntur est effector, id plerunq; scriptura ipsa indicat: Veluti quando ab initio dixit Dominus, Fiat lux, subijciunt diuinæ literæ, Et facta est lux. Sic aquá conuersam in vinū, virgá Mosis in serpenté versam, scripturę nō tacuerūt, at de verbis cœnæ nusquá legimus, Panis fiat corpus, aut panis factus est corpus domini. Et falsum est quod Musculus asserit, in prima cœna ad verborum pronunciationé statim adfuisse corpus et sanguiné domini. Christus mésæ cū discipulis corpore suo assedit, pané acceptū benedixit, & illis distribuit ac dedit, dicens: Accipite, edite, Hoc est corpus meum, neq; vllius corporalis præsentię mentio fit ab Euágelistis præterquá illius qua vero corpore mēsæ accubuit. Patres quidé dicūt Christū seipsum manibus suis gestasse, népe vt alibi docēt, quia sacramétū corporis sui manib. suis gestauit. Sed esto sermoné Christi in cœna operatoriū fuisse, nū dicemus hunc effecisse corporalé prę sentiá, cū

alioqui corpore ſuo,& quidem adhuc paſsibili localiter in prima cœna præſens eſſet? Aut nũ propterea ſtatuemus verbo Chriſti,vt Papiſtę volunt,panem & vinum tranſubſtantiari, mutari & conuerti in corpus & ſanguinem Chriſti,aut cum panę ſubſtantialiter coniungi corpus Chriſti, & quaſi companari? Neutrum horum concedere poſſumus,cum vtraq; ſententia,veritatem humanæ naturæ in Chriſto tollat,& ſacramẽtorum naturę repugnet: ſed eam efficaciam & operationem verbis Chriſti tribuere oportet,quæ menti ipſius nõ repugnet, & ſenſum verborum retineat ſacramentis conuenientem: Nempe quod panis ac vinum facta ſunt ex inſtitutione Chriſti ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti, quod ante non erant. Ac cum opus hic nullũ proferatur quod ſenſibus corporeis percipiatur , ſequitur hæc ſpiritualiter accipienda eſſe, vt quod aliâs Dei verbo in corporibus efficitur vi naturę à Deo conditæ,id in hoc myſterio vi ſpiritus ſancti perficiatur in hominum mentibus. Atque hoc modo verba Chriſti non modo tum quũ pronunciata ſunt vim ſuam habuiſſe credimus, ſed etiam nunc retinere,atque retentura eſſe vſque ad mundi diſſolutionem. Sacramenta enim eam quã habent vim,ab inſtituentis autoritate & mandato accipiunt , ſicut & promiſſa

missa omnia quibus fœdus quo Deo cōiuncti sumus nititur. Ideoque quæ Christi nomine hodie cœna celebratur in ecclesia, eadem pollet facultate, qua illa ipsa quam ipse primá administrauit. Nā eam ideo instituit, vt non duntaxat temporarius, sed perpetuus eius vsus in ecclesia esset. Itaq; verba Chrysostomi, quæ à Papistis nobis obiecta Musculus, vt & alia, ab illis mutuatur, opinioné PapisticáMusculi nō confirmant. Sicut, inquit, illa vox, qua dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram, " semel quidem dicta est, sed omni tempore sen " tit effectum, ad generationem operante natu- " ra: ita vox illa semel quidem dicta est, sed per " omnes mensas ecclesiæ vsque ad hodiernum " diem, & vsque ad eius aduentum præstat sacri " ficio firmitatem. " Neque enim Chrysostomus dicit corpus Christi esse naturaliter & corporaliter in pane, cum eo modo tantum in cœlo sit, quo nos alibi mentibus nostris per fidē conscendere iubet, & ibi illum comedere, Sacramentaliter tamen tanquam in signo & figura, corpus & sanguis Christi sunt in pane & vino quemadmodum etiam in aqua Baptismi. In illis autem qui rite recipiunt panem & vinum Eucharistiæ, corpus Christi est spiritualiter per diuinam potentiam, illisque vitam largitur. Et quemadmodum per verbum Dei o-

omnia creata sũt,&virtute ac vi illorũ verborũ, Crescite & multiplicamini,hucusq; omnia generantur & crescunt:ita virtute horum verborum Edite,Hoc est corpus meũ: Bibite,Hic est sanguis meus:non autẽ virtute aut vi vllius hominis,panis &vinum sunt eo modo cõsecrata, vt quicunq; cũ viua fide illum panem comederit,& illud vinũ biberit, spiritualiter mãducet & bibat Christum sedentem cum Patre. Sacramentum verò non proprie fieri vi & efficacia verborum idem perspicue docet,scribẽs: Verba sacerdotis ore proferũtur, Dei autẽ virtute consecrantur &gratia: hoc enim significat,etiã si verba illa diuina ex Domini instituto admisceantur,tamen non verborũ vi sed Dei gratia & virtute sacramentũ fieri, Christũ ipsum diuinitate & spiritu suo adesse, & gratiam cõmunicantib.suppeditare, id quod ad conficiendũ sacramentum satis est. Sic etiã August.&Ambros.alicubi tradunt per verba Christi à ministro prolata post panis & vini cõsecrationem, sacramentũ corporis & sanguinis Christi cõfi ei,verũ nihil aliud significant quã panem et vinũ vsui tam sacro per verbũ Christi attributa, non iã vulgares res &cibos ventris ac corporis nostri existere, sed esse res planè sacras &sanctificatas, quæ eas res nobis exhibeant quibus anima nostra spiritualiter satiatur. Atq; idẽ do-

cent

cent Hieron. & Hilar. atq; alij veterum. Eodem modo Irenæus inquit: mixtũ calicem & fractũ panẽ percepto verbo Dei fieri Eucharistiá corporis & sanguinis Christi. Item panẽ qui est à terra percipientem vocationẽ Dei iam non esse cõmunem panem, sed Eucharistiam ex duabus rebus constantẽ, terrena & cœlesti. Cęterũ sicut Papistę existimant sacramentum fieri, idẽ esse ac panẽ verti in corpus Christi, ita noster hic simili errore censet, sacramentũ confici, idẽ esse ac vi verborum coniungi corpus Christi cum externo elemẽto panis: atq; suam sententiam confirmari existimat verbis Augustini, Accedat verbum ad elementũ & fiet sacramentum verum hæc ratio conficiendi sacramenti Augustino & veteri ecclesiæ ignota fuit. Quomodo autem verbum accedens ad elementum faciat sacramentum, Augustinus ipse optime explicat: Accedat, inquit, verbum ad e- "
lementum & fiet sacramentum. Vnde enim i- "
sta tana virtus aquæ vt corpus tangat, & cor "
abluat, nisi faciente verbo: nõ quia dicitur, sed "
quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est "
sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est "
verbum fidei quod prædicamus, inquit Apo- "
stolus. Vnde in Act. Apost. Fide mũdans corda "
corũ. Et Petrus Apostolus: Sic & nos baptisma "
saluos facit: non depositio sordium carnis, sed

conſcientia bonæ interrogatio. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quo ſine dubio vt mundare poſſit, conſecratur & baptiſmus. Par omnino ratio eſt Baptiſmi & cœnæ Domini, & dictum Auguſt. Accedat verbum ad elementum & fiet ſacramentũ, non minus ad Baptiſ. quàm ad cœná Domini pertinet, igitur vt in Baptiſmo nemo ſtatuit, pronuntiatione verborum realiter in aqua pręſens fieri corpus Chriſti, quamuis omnes fateantur nos in Baptiſmo conſepeliri cum Chriſto, & cum ipſo reſurgere & Chriſtum induere, quod fit per fidem Spiritu ſancto intus in cordibus noſtris operante. ita nulla neceſsitas nos cogit, vt contra tot loca ſcripturæ & veritatem humanæ naturę in Chriſto conſtituamus pronuntiatione & vi verborũ corpus Chriſti coniungi ſubſtantialiter cum pane. Neque magis probari poteſt ex ſcripturis hæc conſubſtantiatio quã Papiſtica transſubſtantiatio, quam tamen ipſi palam reijciunt. Ac primum ſuperſtitioſa & quodammodo magica ſunt omnia, quæ de efficacia quam pronuntiationi verborũ tribuũt, diſſerunt: deinde à Papiſtis perparum hæc differunt. Ille enim etiam poſt actionem Cœnæ corpus Chriſti manere volunt, hi eodem modo quo illi pronuntiatione verborum Chriſti corpus præſens fieri volunt non accedente fi-

dei

de, sed volunt præsentiam hanc tantum durare dum vsus cœnæ durat, non vltra. Hanc sententiam vt retineat Musculus, regulam ab initio à se propositam, Nihil habere rationem sacramenti extra vsum diuinitus institutum, libenter, si modo liceret, reijceret, quam etiam recens natam esse ait, vt ita eius auctoritatem eleuet, atque cum reijcere non posit, saltem eam eludere conatur; quod ipse non loquatur de verborum pronuntiatione extra cœnam, sed quæ ad vsum institutionis siue manducationis destinata sit, hanc pronuntiationem verborum Christi constituere corporis & sanguinis eius præsentiam, etiam ante fidem & manducationem. Quasi verò absq; fide verborum vsus aliquis esse posit, aut ad vsum diuinitus institutum absque fide adhibeantur. An enim verba symbolorum causa proferuntur & ad illa diriguntur ac non potius ad homines, in quibus fide recepta suam demũ habent efficaciã?

Itaq; quod concludit, verborũ vi statui præsens corpus Christi in pane, ideoque etiam impios verum Christi corpus sumere, nos rectius inuertere & illi opponere possumus, ac dicere, impios non sumere corpus Christi, quod est esca vitæ, panis, quem qui manducat, Christo teste, viuet in æternum: & omni homini ad vitam cedit, nulli ad exitium quicunq; eius par- Prop. 40.

ticeps fuerit, vt D. Augustin. scribit tract. 26. in Ioan. Atque hanc sententiam Ambrosij & Augustini, atque Hieron. & vetustiorum quoque Patrum, vt Cypriani & Origenis testimonijs confirmare possumus: atque ita demũ concludere: cum impij & indigne accedentes sumant sacramentum, rem autẽ sacramenti non accipiant, hæc duo nõ esse substantialiter coniuncta, neque verborũ pronuntiatione ita panem factum esse corpus Christi, vt substantialiter sit corpus Christi, aut illud substantialiter contineat, aut coniunctum habeat, alioqui enim fieri non posset, quin impij vno accepto, alterum quoque acciperent.

Prop. 71. & 72. Quod autem sacramentarios facit, qui negant impios manducare ipsum verum corpus Christi, oportet vt primum omnium Patres, quos modò nominaui, & totam veterem ecclesiam sacramentarijs adnumeret, & ita demum ad nos damnandos accedat. Eiusdem ponderis est quod addit, eos qui negant

Prop. 73. indigne accedentes manducare verum corpus Christi, è sacramẽto facere nudum ritum & ceremoniam. Satis enim hinc apparet, ita eum immersum esse crassis suis imaginationibus de corporali manducatione, vt spiritualem & viuificam manducationem veri corporis Christi, rẽ nihili et imaginariam esse existi

met,

met, atque adeo declarat se fidei efficaciã prorsus ignorare aut contemnere. Cum verò subijcit, hęc sua dogmata è scripturis & sanctis Patribus deducta esse, & cum Regula suprà posita consentire, tum nobis persuadebit, cum meridie non lucere probauerit. Tot enim & tam aperta testimonia sunt Patrum quibus contrarium docent, vt in eo saltem pudori suo pepercerit, quòd indefinite locutus neminem nominare ausus fuit, qui vnà cũ ipso sentiat, verborum vi & efficacia ita præsens fieri corpus Christi, vt illud etiam manducent impij. Atqui tùm demum hęc sententia cum regula ab ipsò posita congruet, vbi vsus sacramenti diuinitus institutus fide carere potuerit. Prop. 74.

Postremum caput Disputationis est de adoratione Christi præsentis in cœna, quã tractat pluribus propositionibus, quarum maior ferè pars agit de Christo secundum vtranque naturã adorando vna adoratione, de quo non est controuersia. Initio autem ponit discrepantes opiniones eorum qui realem præsentiam corporis Christi constituentes, adorationem Christi in cœna præsentis, vel prorsus à cœnæ institutione alienam esse existimant, & proxime accedere ad explosam adorationem Pontificiam, vel rem hanc liberam, indifferentem & quasi adiaphoram faciunt : vel postremo Prop. 78.

piam, rectam & licitam esse existimant. Hos omnes sinit abūdare in suo sensu, modo idem sibi concedatur. In quo vide quęso hominis ingeniū. Opiniones quas ponit inter se pugnāt: si enim adoratio res aliena est ab institutione cœnæ & ad Papisticam superstitionem accedit, non debet ferri in ecclesia, neq; cœna prophananda est, vt illi aliquis cultus à Christo non institutus affingatur. Rursus si adoratio hæc res pia est & recta, non videtur absque impietate omitti posse. Sed hæc non mouent Musculum, facile omnia ferre potest in suæ factionis hominibus: at si adorationem alij damnēt, quibus cum non per omnia consentit, illi crimen inexpiabile committent. Idipsum omnes facile vident, & animaduertunt quo consilio vtranque disputationem ediderit, & Papisticam aut semipapisticam adorationem propugnandam susceperit. Credo equidem si hi, quorum gloriæ inuidet & omnia odit, adorationem probassent, eum contra hanc improbaturum fuisse. Ea enim est hodie quorūdam theologia, vt non ex doctrina de personis iudicium ferant, sed contra ex personis doctrinam æstiment, in illis quos amant & quibus fauent, omnia admirantur, contra eorum quos oderunt, omnia etiam rectissime dicta in alienum sensum detorquent & calumniantur. Sed nos

hos suo

hos suo relinquentes iudici, de rebus ipsis inter nos controuersis agamus.

Itaque quod adorationem Christi in sacramento atinet, non est controuersia, an aliqua reuerentia debeatur sacramēto, fatemur enim monumenta & memorias rerum diuinarum aliquo modo coli & obseruari oportere: sed de adoratione hic quæritur, in qua sit proprius & & peculiaris honor vnius & summi Dei. Hoc igitur quæritur, an Eucharistiam ita adorare liceat propterea quod Christus in illa realiter & substantialiter præsens sit, vt ipse in Eucharistia hoc modo adoretur. Nos igitur qui scimus hanc realem & substantialem pręsentiam ex scripturis ostendi non posse, negamus sacramenti adorationem: aduersariorum aliqui vt realem pręsentiam ita adorationem quoque sacramenti defendunt. Est autem adoratio hæc à Papistis inuenta & instituta. Etenim Honorius mandauit sacerdotibus vt plebem doceant, reuerenter coram Eucharistia se inclinare & eam venerari. Vrbanus vero huius nominis IIII. peculiare instituit festum corporis Christi, in quo prorsus gentili more in pompa circumfertur sacramentum, agri illo lustrātur, atque populus illud promiscuè adorat. Superstitionem hanc multum promouit Thomas Aquinas, hic enim totum illius festi offi-

cium, vt vocant composuit, quod adeo Muscu lo nostro probatur, vt in vtraque Disputatione hymnum eius superstitiosum laudarit. Conantur autem quidam Patrum testimonio adorationem sacramenti confirmare, & adducunt Augustinum, qui ait, Neminem illam carnem manducare nisi prius adorauerit: item Ambrosium, qui lib 3. cap. 12. de spiritu sancto ita scribit: Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Christo Iesu, vt supra diximus, adorarunt. Neque enim diuisus est Christus, sed vnus. Idem scribit D. Augustinus in expositione Psal. 98. Sed Patres isti Christum iubentes adorare in mysterijs, non hoc ad carnem Christi referunt, quod illa realiter & substantialiter in his contineatur, nam eos aliter sensisse multis testimonijs dudum nostri probarunt: sed ad eos qui communicant hæc referunt. Nos enim dum sumus in mysterijs, fide ac spiritu percipimus carnem Christi pro nobis in mortem traditam, & sanguinem eius pro nobis effusum, atque ea venerabundi colimus & adoramus. Adoramus etiam carnem Christi in mysterijs, quod ea sacramentali significatione fidei, atque spiritui nostro in mysterijs adoranda quodammodo offeratur. Nã

ita recte dicimur Deum adorare & colere in verbis Apostolorum & Prophetarum, cum illum adoramus & colimus, prout in illis sacris scriptis nobis ostēditur & significatur. Quemadmodum autem audita recitatione sacrorum verborum Deum adoramus, verba tamen ipsa non adoramus, ita in sacra communione adoramus quidem Christum, symbola tamen illa externa quæ ponuntur ante oculos non adoramus, neque etiam mentem ad illa dirigimus, Christum in illis substantialiter præsentem quærentes. Chrysostomus iubet nos corpus Christi non in altari sed in cœlo animo & spiritu quærere, atque aquilas fieri, vt in cœlum aut supra cœlos euolemus. Ac veteres dicebant sursum corda, vt monerent à rebus visibilibus animum in cœlos adtollendũ esse ad inuisibilia, quæ nobis in sacramento offeruntur, & illic Christum quærendum. Christus etiam cœnā instituens nusquam adorationis mentionē fecit. Neq; valet quod obijciũt, adorationem Christi in sacramento sanciri generali præcepto quo iubemur Deum vbiq; in spiritu & veritate adorare: ad istam enim adorationem nihil opus est reali præsentia. Imo opinionibus Iudæorum & Samaritanorũ qui præsentiam Dei ad certum aliquem locum alligabāt, hanc sententiā Christus opponit. Vetat

etiam ne patiamur nobis persuaderi, vt ipsum postquam à nobis abijt in certo aliquo terræ loco quæramus. Si quis (inquit) dixerit vobis, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Si dixerint vobis, ecce in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus nolite credere. Scriptura docet Christum corpore suo in cœlos ascendisse, atque inde demum venturum in consummatione seculi ad iudicandum viuos & mortuos, in cœlis igitur nos quærimus & adoramus Christum seruatorem nostrum, neq; aliò nos ablegari patimur. Qui vero Christum in pane adorandum proponunt, necesse habent vt prius suam impanationem firmioribus, quam hactenus fecerunt argumentis probent. Deinde nunquam euitare poterunt, quin Papisticam ἀρτολατρείαν aliqua ex parte confirment: Christi enim corpus etiam ante fidē & vsum pani coniungunt, & in eo adorant, atque ita pane non tantum ad communionem vtuntur, sed prius ex eo idolum faciunt, quod adorent. Neque refert quod dicunt se creaturæ hunc honorem non exhibere, nam ne Papistæ quidem creaturam se adorare fatentur, imò creaturá nullam hic agnoscunt, dicentes panis & vini substantias non amplius superesse, sed in corpus & sanguinem Christi conuersas esse. Nihilominus etiam aduersarij nostri eos horrendæ idolomaniæ

lomaniæ accuſant, & cœnam Domini ab ipſis prophanatam conqueruntur. Teſtantur etiam Scholaſticorum libri, quam multas ſpinoſas quæſtiones, ne quid grauius dicam, pepererit opinio de vi verborum conſecrationis in conficiendo Sacramēto, item adoratio Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini: cum autem hęc omnia Aduerſarijs noſtris nota ſint, videant ipſi quo conſilio denuo in Eccleſiam reducere conentur eaſdem opiniones. Etſi enim multos errorum riuulos obſtruere conantur, tamē ijſdem fontibus patefactis nunquam prohibere poterunt, quo minus ſimiles ſuperſtitiones inde ſcaturiant. Ac verendum eſt ne qui in hac re cum Papiſtis colludunt, & eorum veteres ſuperſtitiones nouis coloribus pingunt, propius etiam ad illos accedant, & paulatim veterem Papatum reſtituant: à cuius criminis ſuſpicione ſi alieni eſſe volunt, factis non verbis ſe purgent, & principijs errorum valedicant, ſi nolint eos longius ſerpere.

Multa quidem adhuc in hac diſputatione Muſculi notari poterant, & merebatur acrem reprehenſorem, non tantum quod ad res ipſas ſpectat, & Papiſticos errores quos denuo introducit in eccleſiam, ſed etiam quoad conſilium & ſcopum vtriuſq; diſputationis. Nam quod antea monui, hoc vnum ſpectat, vt viros

longe se meliores & doctiores in inuidiam & odium adducat, quasi non recte de Sacramentis sentiant, & occultas hæreses alant: deinde maxime laborat, ne vlla concordia & pacificatio constituatur inter ecclesias quæ Euangelium profitentes, hactenus tamē de modo præsentiæ Christi inter se dissentierunt. Verum ego hanc reprehensionem alijs relinquo, qui forte ipsum & similes ecclesiarum turbatores pro merito tractabunt, mihi tantum propositum fuit in simpliciorum & mei similium gratiam, res præcipuas, de quibus agitur in his disputationibus paucis examinare, indicare veram & orthodoxam doctrinam, & argumenta contraria si quæ allata fuerunt confutare. Qui prolixiorem tractationem requirit, libros plurimos habet vnde eam petere posſit, & præsertim ex doctisſimo libro, quem Petrus Martyr, grauisſimus theologus, contra Gardynerum quondam Vuintoniensem episcopum edidit: etenim pleraq; sua argumenta Musculus ab ipso Gardynero aut alijs Papistis mutuatus est.

CHRISTIANO LECTORI.

NE pagellæ aliquot vacarent, libuit subijcere præceptorum nostrorũ Huldrychi Zuinglij & Ioannis Oecolampadij de præsentia Christi & huius Cœna mystica sententiam, cùm vt de cõmuni Ecclesia optimè meritos viros à morsibus & calumnijs vindicemus maledicorum, qui illos Christum à Cœna sua excludere, & inania symbola statuere dicunt: tum vt ijs qui istorum libros non viderunt, summam exhibeamus doctrinæ, quam illi ex Scripturis sacris tradiderunt. Tu verò Christiane Lector ista lege, lecta ad fidei regulan examina, & Vale.

ZVinglius in Expositione fidei ad Regẽ Christianum sic scribit: Cl[illegible]um credimus verè esse in Cœna, imò non credimus esse Domini cœnam nisi Christus adsit. Confirmatur: Vbi duo aut tres fuerint in nomine meo congregati, istic sum in medio illorum. Quantò magis adest, vbi tota ecclesia ei est cõgregata? Sed quòd corpus eius ea dimensione edatur, qua isti dicunt, id verò est à veritate & fidei ingenio alienissimum. Asserimus ergo non sic carnaliter & crasse manducari corpus

Christi, vt isti perhibent: sed verum Christi corpus credimus in Cœna Sacramentaliter & spiritualiter edi à religiosa, fideli & sancta mente: quomodo & D. Chrysostomus sentit. Et hæc est breuis summa nostrę, imò non nostrę, sed ipsius veritatis, sententiæ de hac controuersia.

Idem in Complanatione Ieremię cap. 19. In Eucharistia fortius moueri ad gratias agendũ animos piorum, nemo negat, cùm sacris symbolis, pane & vino, velut ipsis Christi corpore & sanguine circumlatis, sensus etiam huc ducuntur, vbi est animus. Sed tamen interim hoc non est omittendum, externa ista nihil facere, nisi animus antea huc inclinet, quò symbola tendunt.

Item in Ieremiæ Cap. 27. Nemo tam rudis est, quem huiusmodi ὑπερβολαὶ offendant, Christi verũ corpus in Cœna, verè etiam editur, cùm panis & vinum præbentur. Verum enim corpus, non falsum, assumpsit: verè edit mens fidelis, cùm non simulatè recipit Christum, cùm verè fidit Christo. Sed vide annon hæc omnia cùm de symbolis dicantur, non tamen virtute symbolorum, sed spiritus ac fidei operatione fiant: vt Alloeoseos virtute symbolis tribuatur, alteri Sacramenti parti, quod fidei solius (dummodo rem ad viuũ resecare volumus)

esse

esse cognoscitur. Verum ergo corpus cum edi dicitur, illud verũ corpus, quod cœlo illatum est, intelligimus: sed illud ipsum non naturaliter, hoc est, quemadmodũ ipsum naturale est, etiam naturaliter à nobis editur: sed spiritualiter hîc edimus, quod isthic naturaliter est, &c.

Ioannes Oecolampadius in Dialogo de Græcorum & Latinorum Patrum sententia de Eucharistia ædito, hæc scribit: Sicubi panis ille Dominicus & Cœna sancta ἱκανωτάτη καὶ φρικωδεστάτη & corpus Domini dicitur, non contendimus. Nam & nos sic appellamus, non solùm quòd à Domino Iesu Christo sanctè initiata & instituta, sed etiam quòd in eo sanctificatoris Spiritus sancti mirificam operationem fidelium pectora experiuntur. Item non dicimus panem hunc nudum quidem signum in Cœna, sed efficax quodammodo, operante Spiritu sancto in fideliũ cœtu, vt fiat nobilius quoddam & sanctius corpus, nobis Christo capiti in vnum corpus coadunatis. Hoc cùm dicimus, minimè Christum abesse à Cœna asserimus. Adhæc non auferimus à Cœna alimentum vitæ, carnem & sanguinem Christi, & Christum ipsum. Nam nisi animæ nostræ hoc pabulo fuerint pastæ, nequaquam vitam habituræ sunt. Præterea nunquam à nobis negatum est, quin Cœna etiam fidei seruiat cùm

excitandæ tum augendæ. Vbi enim memoria mortis Christi tanta pietatis deuotione recolitur, vbi promissiones tantæ recitantur, vtpote suscitabula adsunt fidei, tametsi omnia operatio Spiritus sancti efficiat. Quàmuis autem adijciamus, Dominum hæc & alibi absq; symbolis operari, necessaria tamen Sacramenta sunt vt tesseræ fidelium ab infidelibus. Demum licet naturale corpus Christi in cœlo dicamus, non tamen diuinitatem, quæ præsens adest, à corpore Christi auellimus. Hæc etiam in Responsionibus, quas anno ab hinc quinto dedimus, legere licet: sed semper nobis talia obiecta sunt, quasi nobis sit panis communis, & qualem pistor coquit, vel signum nudum absque promissionibus, vnde & careamus pabulo animorum, sanctimonia, Christoque ipso. Quæ omnia vanissimè obiecta esse, scripta nostra testantur. Dissidium magis est de modo præsentiæ & absentiæ, quàm de ipsa præsentia vel absentia. Nemo enim tam obtusus est, qui asserat omnibus modis adesse vel abesse Christi corpus. Vrgent aliqui panem Dominicum esse ipsissimum corpus Christi, ita vt quicunque, siue pij siue impij, eo pascantur, nō solum panem & Sacramentum, sed etiam corporaliter corpus Christi manducent, ac in os stomachi transmittant. Nos verò contradicimus, & elemen-

elementum nequaquam in talem honorem e-
uectum asserimus, vt omnium dignissima crea
tura in vnam naturalemq; illius substantiam
se vniat, vel ita naturaliter ab eo contineatur,
vt per ipsum, tanquam medium canalē, trans-
fundatur gratia, quam ipse Spiritus sanctus fi-
delibus concedit, & contactu vel gustu eius e-
tiam impij ipsum verum corpus Christi con-
tingant ac edant, gratiæúe participes
fiant. Habes vt scinda-
mur, &c.